


05

A

602





I. N. J.
COLLEGII ANTI-SOCINIANI PUBLICI

3 17
Quo
MATEOLOGIA UNIVERSA
NEO-PHOTINIANORUM
e Scriptis ipsorum plene detegitur,

NEC NON
e S. Literis, proprijsq; adversæ partis
testimonijs succinctè refellitur.

DISPUTATIO XXIV.

DE SACRAMENTIS IN GE-
NERE ET IN SPECIE DE BAPTISMO

quam PRÆSIDE
ABRAHAM CALOVIO, SS.
THEOL. D. EJUSDEMQUE PROF. PUBL.
ELECTORALIUM ALUMNORUM EPHORO, CONSISTORIE
ECCLESIASTICI ADSESSORE, CIRCULIQ; ELECTOR. SU-
PERINTENDENTE GENERALI

*Dn. Præceptore ac Patrono suo magno omni animi
observantiâ aeternum devenerando.*

Placide sententiarum collationi subjicit

CHRISTIANUS BERINGIUS

Gryphisvaldensis Pomeranus.

In Auditorio Majori, ad d. II. Maij horis antemeridianis.

WITTENBERGÆ

Typis MICHAELIS Wendi.

Anno Dom. 1693 c LII.

22

SECTIO IX.

ΜΤΣΤΗΡΙΟΛΟΓΙΚΗ

DE SACRAMENTIS

SUBSECTIO I.

DE SACRAMENTIS IN GE-
NERE.

CONTROVERSIA PRIMA.

*Utrum per Sacramenta gratia Dei con-
feratur?*

Ociniani negant Sacramenta esse media conferendi gratiā Dei Smaltz Exam. Cent. error. p. 37. tantum non blasphemiam esse per Sacramenta hominibus gratiam conferri contra Smiglecium defendere conatur, imò criminatur, omnium errorum, quin & impietatis unicam veram causam esse, quod Sacramentis rebus externis, quas quivis homo tractare potest, talia adscribantur. Quid enim, inquit, opus est studere pietati, quod onus est durum homini non regenerato, si usus Sacramentorum, ad quæ omnibus patet aditus gratiam divinam confert.

Observetur autem hic, (1.) concedere Smaltzium, duo esse Sacramenta Baptismum & S. Cœnam. Hæc enim pro Sacramentis agnoscere Evangelicam veritatem, fatetur l. c. quo agnoscit, quodq; Schlichting. passim in disp. 3. contra Meisnerum: Id quod contra Socinum & alios, minimè admittentes, Baptismum & S. Cœnam Sacramenta esse, sedulo animadvertendū est: Vid. Socin. de Baptis. c. 14. (2.) Nos nequaquam Sacramentis tribuere tantum, quantum ipsi DEO, ut calumniatur l. c. Smaltzjus; sed DEUM causam principalem salutis,

LIII

Sakra-

Disp. XXIV.
publ. Reph.
CHRISTIANO
BERINGIO,
Gryphisw.
Pomerano.

Socin. sen-
tentia.

Ejus con-
futatio.

Sacramenta verò *media* tantùm divinitus instituta, omnemq; vim à divina institutione trahentia, agnoscere. (3.) Nostrâ sententiâ *rebus externis nullatenus tantùm tribuitur, quantum ipsi DEO*: quandoquidem virtus Spiritualis, quæ Sacramenti adscribitur, minimè tribuatur tantùm *externis rebus, aut terrenis elementis*, sed toti Sacramento, tùm ob *ordinationem DEI*, tùm ob *materiam cœlestem*, quæ præcipuus nucleus Sacramenti est. (4.) Adde quod non nudæ actioni externæ *per se, vel ex opere operato*, salutaris fructus vindicetur, sed quâ Sacramenta verâ fide percipiuntur, & usurpantur; Quibus observatis hæc Smaltzio possunt opponi argumenta.

I. Quod *nullo documento* fidem facere queat suæ accusationi. Unde enim probabit, nostram doctrinam tantum non *blasphemiam esse, & causam omnis erroris & impietatis*? Quandoquidem nos externis rebus tantùm tribuere, quantum Deo ipsi, falsissimū sit. Nec minus quoq; falsum, quod nostra sententia *solus externus usus* gratiam divinam citrà fidem consequatur. Si quidem fidem omninò requiramus ad salutarem Sacramenti usum, unde è nostrâ quidem doctrinâ sequi non potest, quod necessarium haud sit pietatis studium, dum Sacramenta modò adhibeantur.

II. Certum est, Scripturam Sacramentis etiam Veti. Testamenti *vim spiritualem* tribuere, prout id in *Circumcisione* liquet è *Gen. XVII. cap.* quod per eandem in Vet. Testamento suscepti fuerint in foedus divinum, gratiæq; Divinæ participes facti, quâ etiam *justitiam fidei* ob signatam esse docet *Apost. Rom. IV. II.* Quî ergò Sacramenta Novi Test. non obtinerent vim spiritualem Dei gratiam conferendi?

III. Per Sacramenta corpori CHRISTI mystico nos inseri ac spiritualitèr confirmari, docet *Apostolus I. Cor. XII. 3. per unum Spiritum baptizati sumus omnes ad unum corpus, & potati omnes ad unum Spiritum.* Si verò in Sacramento Baptismi ad unum mysticum corpus *per Spiritum S. baptizamur*, quî dubium esse potest, nos per Baptismum gratiæ Divinæ participes fieri? si *petamur omnes*

innes in Sacra Coena ad unum Spiritum, adeoq; spiritualiter confirmamur, utiq; necessum est, per Sacramentum Eucharistiæ gratiam Dei Spiritualem nos participare. Annon enim præcipua Dei gratia est, inferi Dei corpori, ac spiritualiter potari, atq; refici?

IV. Sacramenta unà cum verbo Dei proponuntur. *Job. V. 8. ceu media salutis & fidei salvificæ: Tres sunt qui testantur in terris, Spiritus (in verbo, quod est Spiritus & vita Job. VI. v. 63.) & aqua (in Sacramento Baptismatos) & Sanguis (in S. Eucharistiâ) & hi tres in unum sunt: quemadmodum etiam v. 6. dictum erat; hic est, qui venit aquâ & Sanguine JESUS CHRISTUS, non aquâ solum, sed aquâ & sanguine; quæ verba commodius rectiusq; explicari non possunt, quàm de S. Baptismo & de S. Eucharistiâ. Ubi enim CHRISTUS venit ad nos, salutis nostræ causa, aquâ, præterquam in Baptismo? Si de Spiritu Sancto id quis intelligat, literam deserit, & ad figuram se convertit, cum tamen sine urgente necessitate litera relinquenda non sit. Porro quonam pacto aliter hoc intelligi potest, quod salutis nostræ gratia in ECCLESIA CHRISTUS adhuc ad nos veniat Sanguine, quàm ut intelligatur id de Sanguine Christi, cum non alienò sed proprio sanguine Christus veniat ad nos: & quidem de S. Eucharistiâ, in quâ exhibet nobis sanguinem suum in calice benedicto I. Cor. X. 16. Matth. XXVI. 28. Quid quod in nullis aliis actionibus testificatoriis tale discrimen aquæ, & sanguinis Christi habetur ut, quibus Christus ad nos veniat non aquâ solum sed & sanguine, quam in his duobus Sacramentis, Baptismo & Cœna Domini, nec quicquam aliud denominari possit, præter Spiritum in verbo, quod in Ecclesiâ Christi perpetuò maneat, testetur, ac salutis nostræ causa ordinatum sit, quàm Baptismus & S. Cœn. 2.*

V. Accedit, quod Baptismus & S. Cœna, fatente Smaltzio, Sacramenta sint. Quum ergò ad Sacramenta verbum pertineat, (juxta Augustini vulgatam regulam *Accedat Verbum ad elementum & erit Sacramentum*), quod utiq; est efficax medium salutis nostræ Rom. I. 16. negari sanè haud debet, Baptismum & S. Cœnam media

LIII 2

salu-

salutis esse. Quid enim? num verbum Dei minus virtutis habebit in *Baptismo* aut *S. Cœna*, aut num deperdet illic vim suam divinam? Quum *Baptismus* *lavacrum aquae* sit in verbo quò mundamur *Eph. V. 26.* Num Verbum Dei quo aqua *Baptismi* comprehensa est, eam non habiturum est vim, quam extra Sacramentum habet? an non ita verbum institutionis irritum foret? an non verbum promissionis inefficax esset?

6. VI. Sacramenta non constant solùm *materia terrenâ*, sed etiam *caelesti*, verbo institutionis comprehensâ; quemadmodum *Baptisma* non est aqua nuda vel sola ablutio, sed *lavacrum aquae in verbo*, quod fit in nomine *Patris & Filii & Spiritus S. Matth. XXII. 19.* *S. Eucharistia* non est solùm *panis & vinum* sed *communicatio corporis & Sanguinis Christi Matth. XXVI. 26. 1. Cor. X. 6.* Quomodo ergò denegari potest Sacramentis vis *Spiritualis* in negotio salutis nostræ, quando quidem è rebus *Spiritualibus & caelestibus* consistunt?

7. VII. De *Sacramento Baptismi* plurima eaq; insignia in *Scripturis* habentur testimonia, vim ejus *Spiritualement & efficaciam* Divinam depraedicantia, quod per illud *regeneremur & renovemur Job. III. 5.* quod *abluamur à peccatis, & remissionem peccatorum consequamur Act. II. 38. Cap. XXII. 16.* quod *mundemur & sanctificemur Eph. V. 26* quod per illud in *foedus gratiae recipiamur 1. Pet. III. 21.* & *salvemur Marc. XVI. 16. 1. Pet. III. 20. 21.* Quomodo ergò ambiguum esse potest, *Baptisma* efficax medium esse conferendi gratiam, & salutem?

8. VIII. Nec minus celebratur quoq; *S. Cœna à fructu spirituali & salutifero*, utpote in quâ *Corpus Christi* percipimus quod pro nobis traditum est, & *Sanguinem Christi*, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum *Matth. XXVI. 28.* in quâ *carnem* illam manducamus *sanguinemq;* illum bibimus, de quo testatur *Christus*, qui *carnem meam manducat, & bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam Joh. VI. 54* qui *carnem meam manducat & bibit sanguinem meum, manet in me & ego in ipso v. 56. &c.*

IX. Deniq; fateri cogitur ipse *Smaltzius de S. COENA exam. Con.*

Cent. error. p. 38 eam ad salutem necessariam esse. De Cœna Domini ait, inter omnes Christianos convenit, quod celebratio illius necessario ad Christi religionem pertineat, & sine amissione vitæ, ubi ejus celebranda est occasio, intermitti nequeat. Quod de Baptismo aquæ negat quidem Smaltzius, sed asseverat id Christus Job. III. 5. Quod si verò Sacramenta ad salutem necessaria sunt, quomodo aliter requirentur Sacramenta ad salutem, quam ut Media salutis divinitus ordinata?

CONTROVERSIA SECUNDA.

Utrum per Sacramenta gratia Dei & promissiones Evangelicæ obsignentur?

Socinus negat hoc Libro Svasorio cap. IV. p. 53. & errorem dicit Evangelicorum, quod affirmant, Baptismo divinitus obsignari peccatorum remissionem, idq; Cœnæ etiam Dominicæ tribuant, cum tamen per Baptismum non quidem obsignetur, sed tantum adumbretur peccatorum remissio. Schlichtingius disput. contra Meisnerum de Trinit. p. 920. Nego Sacramenta Divinarum promissionum esse sigilla propriè dicta? Quid? ne impropriè quidem dicta earum sigilla sunt.

Socin. Sententia.

Pro affirmativa autem hæc observari possunt.

I. Quod circumcisio vocetur sigillum Justitiæ fidei Rom. IV. II. Quæ autem circumcisionis, eadem & aliorum Sacramentorum est ratio: quippe quæ in natura generica & fine communi inter se conveniunt. Nec minor efficacia Sacramentis adscribi potest Novi Test. quàm Sacramentis Vet. Testam. Sigilli autem proprium esse, obsignare ac confirmare id, cui annectitur, negare non potest Schlichting. At excipit. (1.) Circumcisionem tantum per similitudinem aliquam sigillum vocari, quod eâ commoniti fuerint beneficiorum & felicitatis sibi destinata Resp. quæ verò necessitas cogit, ut propriam vocis significationem deseramus, & impropriè sigillum intelligamus? Et quæ Abraham corporalis felicitatis commonitus.

Confutatio.

eadem fuisset, quum ea *signum Justitiæ fidei* vocetur! Si autem de *promissa salute æternâ* commonitus fuit per circumcisionem, utiq; confirmatio & obsignatio ea illi fuit promissionis Divinæ & promissæ gratiæ (2.) *Circumcisionem non promissionis ullius, sed Justitiæ b. e. justificationis sigillum* vocari, adeoq; dicendum de aliis Sacramentis, quod *illis non promissio aliqua obsignetur, sed beneficium jam collatum celebretur* Resp. Si Circumcisio sigillum fuit justitiæ, & justificationis, utiq; verè justitiæ & justificatio, adeoq; ipsa promissio remissionis peccatorum, & gratiæ confirmata & obsignata fuit eadem. Non enim tantùm signum erat & *memoriale accepti beneficii, sed sigillum justitiæ*, uti appellatur. Si ergò justificationem & justitiæ obsignavit, utiq; inserviit ad obsignandum & confirmandum fidem & gratiam Dei. Nec enim oppositi sunt, sed subordinati fines: *celebratio gratiæ Dei, & obsignatio promissionis divinæ.*

II. Aqua Baptismi, & SANGVIS CHRISTI IN COENA DOMINI de gratiâ Dei testantur in terris 1. *Job V. 8.* quod testimonium cùm nos confirmet & certiores reddat de promissâ gratiâ, quis ambigat, gratiam Dei obsignari Sacramentis Baptismi & Sacræ Cœnæ Dominicæ in nobis? Excipit *Schlichring.* (1.) non posse intelligi *Baptismum & S Cœnam*, quum testes designentur, qui *JESU M esse CHRISTUM* distinctè, palàm & apertè testentur, ut etiam illi qui nondum credant, ad fidem adducantur. Resp. Quid ni testentur *Baptismus & Cœna Domini* distinctè, aperte ac palàm, quum sint notæ etiam publicæ Ecclesiæ? Nec verò testes hi ob infideles adducti sunt, sed ob fideles, ad confirmationem salutis & victoriæ, quam in Christo habent. Quidni v. fideles per Sacramenta *Baptismi & Cœnæ* confirmari possint de salute ac victoriâ illâ? Cum per ea applicatio fiat salutis. (2.) *Per aquam* intelligi debere puritatem vitæ Christi, per Sanguinem mortem Christi confessionis causa exanclatam, uti per Spiritum miracula. At hæc glossa Socini merè precaria est. Ubi enim in Scripturâ Spiritus idem est, quod miracula, vel aqua idem, quod vitæ puritas? Ubi Sanguis Christi ceu confirmatio confessionis ejus, ad instar sanguinis Martyrum, introducitur?

Ex

Ex aduerso verò rectius per *aquam Baptismi aquam*, per *Sanguinem* ipsam *Christi sanguinem in S. Eucharistia* intelligimus, quam ita propria vocis significatio retineatur, nosq; in Baptismo remissionem peccatorum & Spiritum S. consequamur *Act. II. 38. & sanguis Christi* non testetur tantum, sicuti *sanguis Martyrum*, sed uti effusus est in arâ crucis in remissionem peccatorum, ita exhibeatur nobis in poculo Novi Testamenti, ut N. T. ceu foedus gratiæ ex parte nostri eodem confirmetur *Luc. XXII. 40* unde etiam hîc non à corpore, sed à sanguine Christi descripta fuit S. Eucharistia, quando quidem asperione sangyinis fieri consueverit confirmatio. *Ebr. IX. 19.* Ideoq; præstat cum Patribus *Tertull. l. de Baptismo c. XVI. Ambrosio l. I. de SS. C. VI tom. 2. p. 123. & libr. II. de S. S. Cap. XI. p. 156.* per *aquam* intelligere *Baptismum*; cum *Beda comment. in Gal. tom. V. Col. 728.* de Sacramentis Baptismi & Cœnæ Domini hæc explicare *καὶ τὸ πηλόν*, quam Socini glossæ assurgere, contra disertam literam.

III. Si per *Baptismum ac S. Cœnam* mystico Christi corpori transferimur, utiq; de gratiâ Dei in Christo per eadem certiores reddimur. At verum est prius, quia *in unum corpus baptizamur, & ad unum Spiritum potamur in S. Eucharistia*, teste Apostolo *I. Cor. XII. 13.*

IV. *Baptismus* specialiter ab effectu suo ita describitur, quod sit *ἐπερώτημα stipulatio bonæ conscientie cum Deo I. Pet. III. 21.* quâ de gratiâ Dei certiores reddimur, ut lætâ conscientiâ fruamur. Unde non immeritò vocem hanc *Oecumenius* per *arrhabonem & pignus* declaravit. Id verò non placet *Schlichtingio*, eò quod ex obfignatione remissionis peccatorum demùm nascatur ista interrogatio, id est, *καὶ πῶς* conscientie, ut Deum de salute suâ interrogare, eamq; sibi certò despondere audeat; qui negat in super; *Baptismum aquæ* hîc designari, sed ignorat ipse, quid tandem intelligendum sit, dùm modò fiduciam conscientie, modò ipsam conscientiam intelligit. At *S. Petrus* non opponit Baptismo aquæ hanc descriptionem, sed *Baptismum aquæ* definit eadem, quod non sit *depositio sordium corporis, sed stipulatio bonæ conscientie.* Quis admittet per depositionem sordium

dium corporis Sanctissimum Baptismi Sacramentum ab eodem designari? Nihil id blasphemum est. Nec intelligi aliter potest Baptismus hoc in loco quàm de aquâ Baptismi vi propriæ significationis, acceptionis Scripturæ usitatæ, prædicati, ut & locorum similium Scripturæ. Et quomodo vox Baptismus significare potest fiduciam in Deum? Nusquam ita adhibetur: Nec ulla est similitudo Baptismi cum fiducia, ut *Metaphoricè* ac per analogiam denotare possit Baptismus fiduciam; imò Baptismus distinguitur luculentè à fide Marc. XVI. 16. Deniq; quomodo per Baptismum fiducia hîc intelligetur, si conscientia per eundem designatur? Quis non videt hæc merè erroneas esse depravationes scripturæ? Illa verò *παρρησία* etsi post factam obsignationem major sit, nihil tamen obstat, quo minus Baptismus aquæ etiam obsignationis & *παρρησίας* medium statuatur, eòq; ipso à fine & effectu suo describatur, quod sit *συνεδνησεν αὐτὸν ἐπερωτήματα εἰς Θεόν*. Nimirum negat Apostolus in Baptismo aquæ fieri depositionem sordium carnis, eiq; opponit depositionem sordium animæ, quam *κατανύξις* describit per interrogationem bonæ conscientie, quæ est illius effectus. Ideoq; rectè Oecumenius *arrhabonem* intelligit, quod Baptismus sit testis conscientie nostræ, quod simus in gratia Dei propter Christum, & fædus gratiæ ac promissionem salutis obsignet, ut baptizati fiducialiter possint Deum in precibus suis compellere.

V. Si Cæna ad confirmationem Novi Testamenti instituta est, utiq; N. Testamentum, quo promittitur nobis gratia Dei per S. Eucharistiam confirmari & obsignari necesse est. At verum prius est Luc. XXII. 20. 1. Cor. XI. 25. E.

VI. Omnia signa promissioni divinæ nostri causâ addita & in usum Ecclesiæ destinata faciunt ad eandem confirmandam & obsignandam. At Sacramenta sunt ejusmodi signa promissionibus Evangelicis à Deo addita. E.

VII. Deniq; consensus Doctorum Ecclesiæ non temere reprobandus est, qui Sacramenta unanimi suffragio habent pro sigillis, pignore & arrhabone tum divinæ gratiæ tum fidei

fidei nostræ confirmandæ, prout alibi prolixè testimonia addu-
 euntur. At rationes quibus ab eadem in alia omnia eunt Soci-
 niani, nullius ponderis sunt. Socinus l.c. ad obfignationem inquit,
 requiritur rei probatio & documentum aliquod, cujusmodi nihil præ-
 stat ceremonia (Baptismi) quod ad peccatorum remissionem attinet.
 Resp. Baptismus præstat omninò documenta divinæ gratiæ: quia
 sigillum est justitiæ fidei, stipulatio bonæ conscientiæ, & testificatio de di-
 vinâ gratiâ Rom. IV, 11. 1. Petr. III, 21. 1. Job. V. 8. Et annon certio-
 res reddimur per Baptismum de remissione peccatorum? Act. II, 38.
 c. XXII, 16. annon induentes Christum de gratiâ divinâ confirma-
 mur Gal. III. 27. &c. De Cœna Domini excipit Socinus: quomodo si
 ipsa Christi mors ea est, quæ nobis remissionem peccatorum obfignat, id ab
 eo effici potest, quod ad ipsam mortem commemorandam usurpatur?
 Resp. Subordinata non pugnant. Mors Christi obfignare remis-
 sionem peccatorum dici potest, quâ nos certos de eâ reddit ad re-
 demptionem per mortem factam: Cœna Domini, quâ applicat no-
 bis partam morte Christi remissionem, eam deniqve confirmat
 in nobis. Nec verò hic tantum unus finis est S. Cœnæ, mortis
 Christi commemoratio: sed & peccatorum remissio, fidei confirmatio,
 adeoq; gratiæ DEI obfignatio. Schlichtingius has ratiunculas urget:
 ad sigillum requiritur, ut signum sit fixum & permanens, quale nec Ba-
 ptismus nec fractio sacri panis; & eam hîc intelligi obfignationem, quæ
 propriè, & vi sua nos ea dere, cui adhibetur, certos reddat. Talem au-
 tem externis ritibus obfignationis vim non inesse. Et exclamat: O nos
 miseros, si alia divinarum promissionum pignora documentaq; nobis non
 suppetant! Scilicet hic est honor, quem isti homines Sacramentis
 divinitus institutis exhibent. Quid verò obstat, quo minus & re
 transeunte fiat obfignatio? Circumcisio certè non erat res perma-
 nens, verè tamen vocatur sigillum justitiæ. Adhæc Sacramenta
 non tantum ritus quidam sacri sunt, sed etiam rem cœlestem si-
 mul complectuntur cum terrenâ, ut puta Eucharistia corpus Chri-
 sti & sanguinem, quæ utiqve permanent in nobis. Nec verò ritus
 isti æstimari debent solum è materia terrenâ, vel quid in se, & per se
 valeant, sed ex institutione ac ordinatione divinâ. Quis verò ambi-

M m m m m

get

get, Deum etiam per res externas posse nos certos reddere de gratiâ suâ. Quot pignora gratiæ divinæ in sacris exhibentur per res externas! O miseros verò eos, qui Deo quantulocunq; etiam ipsi videatur documento, gratiam suam ob signanti fidem derogant?

IIIX. Quid? quod Socinus ipse non diffiteatur *Baptismum facere ad ob signandam accipiētis fidem disput. de Baptismo aqua. cap. XVII. p. 146.* Si autem fidem ob signat, utiq; etiam gratiam Dei & promissionem divinam in nobis ob signare meritò statuitur.

CONTROVERSA TERTIA.

Num & in quantum doctrina de Sacramentis fundamentum salutis concernat?

Socin. sententia.

Socinus extenuat admodum errores de Sacramentis, eosq; recenset illis, qui per se salutem nihil derogant, libello svasorio cap. IV. p. 27. Schlichtingius disput. de Trinit. contr. D. Meisnerum p. 2. nec illud concedit, articulos de Sacramentis ita fundamentales esse, ut qui directè illos oppugnat salutem adipisci nequeat, unde argumenta B. Meisneri, quibus hoc probatum dedit in *Confid. Theol. Phoriniana* examinare satagit. Quæritur itaque utrum hi articuli de Baptismo & S. Cæna ita fundamentales sint, nec ne?

Argumenta ei Opposita.

Placet autem argumenta, quibus affirmativam B. Meisnerus demonstravit, paucis repetita ab exceptionibus Schlichtingii vindicare.

1.

Primum est quod hæc doctrina concernat *media salutis*. Schlichtingius l. c. p. 3. respondet (1) se concedere hos articulos eâ ratione fundamentales esse, quod concernant causam aut fundamentum aliquod salutis nostræ, negat verò idcirco ad salutem necessarios esse. At hoc ipso largitur τὸ κενώματον: quia sufficit nobis hanc doctrinam concernere causam & fundamentum salutis, nec id jam quæritur, utrum eadem præcisè necessaria ad salutem sit, sed annon impugratio, quæ eadem directè negatur, salutem exitiosa sit, quæ profus diversa sunt. (2) Oggannit, exprimere quidem articulum de Baptismo & Cæna

Domini

Domini, si nostra vera sit sententia, causam salutis instrumentalem, sed tamen ignoratos aut repudiatos salutem non adimere dum modo quispiam us utatur. Adhibitis enim istis divinitus ordinatis instrumentis effectum sequi. Adhiberi autem posse, etiamsi quispiam nostram de illis sententiam non admittat. p. 6. Respond. negare nos, Sacramenta talia media esse, quæ illicò effectus sequatur, etiamsi fides non accedat: Fides autem locum habere nequit in iis, qui negat & impugnat directè media salutis divinitus instituta; quandoquidem is neget & impugnet divinam voluntatem, & quidem in præcipuo aliquo fidei capite, fundamentum salutis concernente.

Alterum est, quod necessarium sit, ut cognoscamus media, per quæ Deus spirituales effectus in corde hominum vult operari, ad minimum ita, ne quis eadem neget aut impugnet: qui enim ea in dubium vocat aut impugnat, is impugnat ipsas proximas salutis causas organicas. Excipit Schlicht. p. 8. Non ignorantiam aliquam circa ista media damnare sed eorum contemptum & non usurpationem. Usurpari autem & non contemni per se posse etsi quis sive Socinianam sive nostram de illis sententiam fuerit amplexus. At non quaeritur hic de ignorantia simplici, sed de directâ negatione & impugnatione. Et quomodo amplecti potest quis Socinianorum hæc in re sententiam, quâ nostræ contraria est citra contemptum mediæ salutis, annon sat contemptus est, cum negantur eadem esse salutis media? Solum externus usus ex opere operato neminem juvabit, si sc. extrinsecus quidem utatur Sacramentis, at in corde suo nihilo secius contradicat & blasphemet, ea non esse salutis media, sed solum externas ceremonias, hanc enim verè blasphemiam esse, (si nostra sententia vera sit, uti est verissima) quæ utiqve per se damnabilis est, negari non potest.

Tertium est, quod hi articuli ejusdem generis sint cum illis, quæ Sociniani sine dubio pro articulis fidei habent, ut potè de Prædestinatione, de Libero arbitrio, de Justificatione, de quibus Schlichting. l. c. p. 10. non inficiatur, eosdem si nostra de illis doctrina vera sit, ad fundamentum salutis pertinere. Quanquam verò excipiat: articulos de Baptismo & S. Cæna, etiamsi doctrina nostra vera sit, non tam necessarios esse,

M m m m 2

quàm

quàm doctrinam de Christi satisfactione, & de fide, quæ in Christi consistat justitia ac meritorum applicatione; Ex eo tamen minimè sequitur id quod hîc in quæstione est, articulos hosce sine periculo salutis oppugnari posse. Committit ergò iterum ignorationem Elenchi.

4.

Quartum est, quod oppugnatio horum articulorum faciat contemptores & sacrilegos, si hæc salutis media sint & tamen esse negentur; nam qui media divinitus ad producendos in nobis spirituales effectus ordinata pro talibus mediis non habent, sed pro nudis & inefficacibus ceremoniis, suisq; simul auditoribus, ut pro talibus habeant, persuadeant, ii contemnunt divina *ὄργα*, sibi ea non applicant, suis auditoribus bona spiritualia suffurantur, adeoq; sacrilegi fiunt, & per consequens salvari nequeunt. Schlichtingius l. e. p. 13. majorem hanc falsam esse dicit: quod sc. non illicò contemptores & sacrilegi sint, qui Sacramenta sacros esse ritus, & ad religionem Christianam pertinere sentiunt. At quid hoc aliud est, quam contemptus & criminatio Sacramentorum, cum negatur, eadem esse salutis media divinitus instituta, si talia ea sunt? Annon hoc ipso derogant ac suffurantur Sacramentis virtutem salutarem! Annon aliis ea suffurantur, cum publicè propugnatur, ea non esse salutis media, item baptismum esse rem liberam & indifferentem! Annon hoc ipso aliis quoq; talis contemptus Sacramentorum instillatur, quo cum vera fides & salus nullatenus consistere possunt!

5.

Quintum est, quod extenuatio Sacramentorum gravissima pariat incommoda, religionem Christianam prostituat, ac si in illâ licitum & sine salutis periculo sit. Sacramenta pro divinis organis habere, aut non habere. Hic verò Schlichtingius ipse fateri cogitur pag. 15. si nostra sententia vera sit, negationem ejusdem in periculum perdende salutis conjicere: negat tamen, eum necessario salute excidere, qui Sacramenta esse salutis media inficiatur, dummodò is dem utatur. At hic non quæritur, num necessario Sacramenta talia credenda sint, ita ut salvari quis nequeat, nisi ea credat esse salutis media: Sed utrum citrà periculum salutis directè impugnari queant? Aliud est rem quandam simpliciter ignorare; aliud verò impugna-

pugna-

pugnare, & negare. Hoc qui facit, salutaritèr iis uti non potest, nec externus usus Sacramentorum ipsum juvabit, quùm indignè utentibus non in salutem sed exitium cedant.

6.

Sextum est speciale, concernens articulum *de Cœna Domini*, ceu medium spiritualium operationum. Cùm enim medium quoddam divinum negatur ordinatum ad salutem nostram, id certè fieri nequit citrà periculum salutis certissimum. Quod verò Schlichtingius obvertit pag. 53. *Nova salutis media novumq; illius consequenda modum sibi errore quoddam fingere, dummodò verus etiam modus, veraq; media retineantur, per se neminem damnat: id ad statum quæstionis non facit, estq; error novus, & admodum periculosus: Qui enim aliud Evangelium prædicat, anathema sit. Gal. 1, 8. & si quis adjecerit quid iis quæ à Deo proposita sunt, ei adjiciet Deus de plagis in libro isto scriptis Ap. XXII. 18.*

Septimum: Cum doctrina de S. Eucharistiâ impugnatur, reatus corporis & sanguinis Domini contrahitur. Quia qui non discernit corpus Domini, reus ejus fit. 1. Cor. XI, 27. 29. Qui verò non credunt corpus Christi præstò esse in S. Cœna, ii non discernunt corpus Domini, adeoq; indignè manducant. At qui veram doctrinam de perceptione corporis Christi negant, & impugnant, quomodo possunt illi corpus Domini rectè discernere! Quod si autem hoc ipso rei fiunt corporis Domini, utiq; doctrina hæc impugnari non potest aut negari citrà periculum salutis. Tales enim manducant, & bibunt sibi metipsis judicium. 1. Cor. XI, 27. 29.

7.

Octavo attinet articulum de S. Baptismo. Quod, concernit utiq; hæc doctrina nostrâ sententiâ *causam salutis necessariam, & divinum medium regenerationis Job. III, 5.* quò mundamur à peccato, *Eph. V, 27.* induimur Christum *Gal. III, 27.* renovamur *Tit. III, 5.* in fœdus gratiæ recipimur, *1. Petr. III, 21.* unà cum Christo sepelimur, *Rom. VI, 4. Col. II, 14.* & salutem æternam consequimur *Marc. XVI, 16.* Quî ergò articulus iste non esset fundamentalis? Quî negari posset ac impugnari citrà dispendium salutis! Schlichting. excipit p. 56. *ad salutem sufficere medio isto uti, etiamsi aliud tale medium esse non credas.* At qui hoc non credit (de adultis si loquamur) imò

8.

M m m m m 3

negat.

negat atque impugnat, quomodo eodem uti potest salutariter! Agnoscere sanè cogitur ipse adversarij, si vera sit nostra doctrina de Baptismo, quod sit medium regenerationis & salutis, sequi hinc, Socinianos hoc negantes, in fundamento fidei & salutis errare. Verum, ponamus hanc tuam minorem esse (baptismum sc. esse necessariam salutis causam, & divinitus ordinatum regenerationis medium,) quid aliud hinc concludes, quàm nos qui hunc articulum non recipimus, in fundamento errare. pag. 58. Quomodo ergò negari potest, hunc articulum fundamentalem esse!

9. Nonò, doctrina de S. Baptismo ejusmodi declarat medium, sine quo nemo salutem consequi potest, & ingredi in regnum DEI Job. III, 6. Quapropter oportet doctrinam illam fundamentalem esse. Schlichtingius concedit quidem consequentiam illam p. 58. sed addit limitationem: Major istius argumenti non est vera de quavis expositione, sed tantum de tali, sine qua fieri prorsus nequeat, ut organo isto utamur. Resp. Quomodo baptismo ceu medio salutis uti possumus, si negemus baptismum esse medium salutis. Distingvendum est inter usum Sacramenti, & usum ejusdem salutarem. Utut Sociniani Baptismo utantur, usus tamen is salutaris esse nequit, quàm id, quod præcipuum est in S. Baptismo, negent, rem sc. coelestem, & fructum ejus, quod medium salutis sit, eumq; pro nudâ ceremoniâ habeant!

10. Decimò non immeritò urgetur mandatum Christi generale Matth. XXIX, 19. è quo vi propositionis universalis colligimus etiam infantes Christianorum ex præcepto Christi baptizandos esse; unde concluditur: Cujus articuli impugnatione inducit inobedientiam, & violationem præcepti Christi maximè necessarii, ille fundamentalis est, & ita comparatus, ut si negetur, per se adimat salutem, propter istam quam causat inobedientiam. Sed articuli de Baptismo impugnatione hoc facit. E. Schlichting. ait: posse illud de baptismo negari, & tamen posse omnes infantes aliâ ex causa baptizari. p. 68. At eatenus nequaquam mandatum Christi impleretur, si sc. Baptismus non ceu medium salutis tenore institutionis, adhiberetur, sed solum ceu nudâ ceremoniâ. Et quam obsecro

erò forent causæ illæ [aliæ], baptizandi infantes? Annon exemplo ipsorum Socinianorum satis constat, baptismum infantibus haud dispensari, eò quod non credant, eundem esse regenerationis medium. Satis id hîc est, quod impugnatione doctrinæ nostræ penes Socinianos baptismi neglectum inducat, ac violationem mandati Christi, quæ committi non potest citrà salutis dispendium? Quid quod Socinus prorsus tollat *baptismi necessitatem & præceptum Christi*, de Baptismo. Qui ergò non erraret in fundamento. Refert utiq; ipse Schlichtingius ad fundamentales articulos *notitiæ præceptorum Christi*: sic enim Systema fundamentalium articulo- rum concludit: pag. 21. *Deniq; ad fundamentales articulos pertinet notitia omnium Christi præceptorum.* Qui ergò notitiam hujus præcepti Christi non habet de baptizando, vel baptismo suscipièdo, ille vi assertionis Schlichtingii errat in fundamentali articulo. *Wolckelius* docet, *baptismum inter nos meritò posse omiti* de ver. Relig. p. 673. Annon ergò doctrina Socinianâ inducitur neglectus Baptismi, & violatio mandati Christi?

Undecimò urgebat B. Meisnerus *officium Christi*: quod non tantùm consistit in *acquisitione spiritualium beneficiorum*, sed etiam in *applicatione eorundem per verbum & Sacramenta*. Cujus articuli impugnatione immediatè & per se labefactat articulum de officio Christi, illa per se etiam salutem adimit, & per consequens, articulus iste fundamentalis est, eò quod fundamentum diruatur, nisi rectè exponatur *1. Cor. III, 11*. Sed articuli de baptismo impugnatione immediatè, & per se labefactat articulum de officio Christi, quoad applicationem beneficiorum per Sacramenta. E. Excipit *Schlicht.* pag. 60. *Non omnes errores circà Christi officium tollunt Christum, ac proinde salutis fundamentum.* Quid verò hoc ad rhombum? Quum hæc consequentia non de omnibus erroribus necatur, sed de iis, quibus articulus de officio Christi labefactatur? Quomodo hoc inficiabitur Schlichtingius, *errores istos saluti exitiosos esse?* Cùm ipsum fundamentum salutis labefactatur, quomodo id fieri potest citrà periculum ac dispendium salutis?

Hæc de argumentis, quibus adversus Schlichtingium (prout
is statum

Utrum no-
stra doctrina
de sacr. si fal-
sa foret, salu-
tis funda-
ment. labe-
factet?

is statum quæstionis formavit) demonstratum, *articulum de S. Ba-
ptismo ita fundamentalem esse, ut ejus negatio, & impugnatio directæ
saluti exitiosa sit.* Quod verò ad illam quæstionem, *utrum nostrâ
doctrinâ de Baptismo, & S. Eucharistia, si falsa foret, Socinianum fi-
dei & salutis fundamentum labefactetur, de eâ nihil attinet disputa-
re.* Quid enim opus est, disquirere, utrum doctrina nostra, si er-
ronea sit, fundamentalis sit error, nec ne? Quandoquidem ea
tâm non possit esse erronea, quàm falli nequit Dei verbum, cui illa
immo tē innititur? Quid attinet discutere *num Socinianum funda-
mentum evertatur?* quum nullatenus concedamus, nec concede-
re possimus, Socinianos verum fidei & salutis fundamentum
habere? Notare tamen juvat hîc nonnulla: (1) Quod *Schlichtin-
gius ipse fateatur pag. 2. neminem servari posse, qui veritatem istis de
rebus summo studio non exquirat, & inventam non amplectatur, & am-
plexus non profiteatur.* (2) Quod concedere cogatur p. 2. errorem
pertinacem de illis damnare. *Hactenus, inquit, Meisneroplanè subscri-
bimus, tantis in rebus errorem, sicum malitiâ & pertinaciâ sit conjun-
ctus, æterno exitio piandum esse.* (3) Quod etiam dogmata Sociniana
hisce de rebus ad salutem necessaria esse censeat, pag. 67. nempe *ut
credamus Baptismum & Cœnam Domini sacros ritus esse, b. e. externas
tantum ceremonias, quo ipso, uti fateatur Schlichtingius, efficacia ea,
quam Sacramentis tribuimus, iisdem negatur.* Si ergò id creditum
necessarium est ad salutem, quo nostra doctrina, quod ad rem i-
psam attinet, negatur, ac tollitur, quodq; cum nostra doctrinâ
consistere non potest, necessum utiq; est, nostram doctrinâ exitio-
sam esse saluti, utpote quâ *reapse* tollatur id, quod directè creditum
est necessarium ad salutem. (4) Quod *Schlichtingius* profitea-
tur pag. 2. *Socinianos non dubitare nostras istis de rebus sententias si quis
earum vim & consequentiam spectet, ipsa pietatis Christianæ fundamen-
ta subruere.* Quî ergò non essent errores isti fundamentales &
exitiosi, quibus fundamentum salutis evertitur. Ecquis non videt,
quàm turpiter sibi ipsi contradicat *Schlichtingius?*

(5) Quod *Schlichtingius* asserat, p. 25. 26. *Dogmata nostra ita
esse comparata, ut prima illius Ecclesie, quæ Apostolorum temporibus
vixit*

viguit respectu planè sint hæretica, quæ, si tùm temporis fuissent inve-
 eta, anathemate fuissent feriendæ. Quod si verò tùm planè hære-
 tica, & damnabilis fuisset, quomodo eadem hodiè non est hæreti-
 ca & damnabilis! Num fides hodie alitèr sese habet, quàm A-
 postolorum tempore!

(6.) Quod Socinus scribere non dubitet lib. *Suasor. c. V. p.*
50. Qui vel cum ipso pane & vino, vel aliâ quâcunq; ratione, dum
 panis ille & vinum sumitur, Christi corpus & sanguinem sumi credunt,
 hi paulatim eò tendunt ut idolum quoddam ex Domini Cœnâ faciant,
 & panem illû, vinumq; adorent. Quod Socini judiciû tantum abest,
 ut reprobet Schlichtingio, ut id, quoad nostram doctrinam, adhuc
 exaggeret, dum addit pag. 55. *Non vobiscum Socino nunc res est, sed*
cum Calvinianis, quos dicitis, quorum sententia, quæ corpus & sangui-
nem Christi cum esu quidem, & potu panis & vini conjungit, ab ipso ta-
men pane & vino sejungit, sanior est, quàm vestra, nec idololatriæ tam
propinqua. Quid ergò juvat ipsius tam proluxa disputatio,
 quod nostra doctrina salutis exitiosa non sit, si ea tam propinqua
 est idololatriæ ipsius opinione!

(7.) Accedit, quod Smaltzius contr. Franz. p. 332 scribat: *Non*
est dissimulandum, quàm gravitèr errent omnes Lutherani, dum id quod
mortui tribuere debeant, ceremoniæ huic externæ (Cœnæ Domini)
quæ est commemoratio istius mortis, tribuunt. Mors enim Christi est,
quæ nos omnes & singulos certos reddit de divinâ benignitate, &c. Hoc
ergò dum Cœnæ Dominicæ adscribit Franzius, non procul abest ab aliquâ
idololatriæ specie. Quod cunq; autem dogma id, quod soli Christo,
& ejus mortui propriû, externæ rei tribuit, istud aliquam idolola-
triæ speciem introducit: quia εἰδωλολατρεῖν nihil aliud est, quàm
divina rebus non divinis adscribere. Excipit Schlichtingius p. 55.
illud verè est εἰδωλολατρεῖν, iis, quibus concessum non est, Divinum cul-
tum deferre, ad quod ex priore illo facilè transitur. At idololatria
non consistit tantùm in cultu divino eorum, quibus non debe-
tur, sed etiam in eo, quod Dei gloria aliis tribuitur extrâ Deum:
nec solùm idololatria committitur externo cultu, sed etiâ cogita-
tione, ut & animo.

(8.) Quid? quod *Smaltzius* nostram doctrinam non modò *haud procul abesse* dicat *ab idololatriâ*, sed expressè eam *blasphemam & idololatricam* appelliter, p. 332. 333. quod *Schlichtingius*, cum objectum esset à *B. Meisnero*, silentio transiit, quum nihil respondere posset, sed apertam contradictionem hic palparet. Non enim ibi valet responsio *Schlichtingii*, *longè minus esse, ad idololatriam paulatim viam munire, quàm idololatriam protinus inducere.* p. 55. Quandoquidem *Smaltzius* non modò viam munire ad idololatriam, sed omnino *idololatriam* esse asserat. *Apage*, inquit *Smaltz. l. c. istam blasphemam & idololatricam opinionem.* Quod autem blasphemum & idololatricum est, id non potest non esse exitiosum.

(9.) Geminum est iudicium *Smaltz.* de doctrinâ nostrâ de Baptismo, *contr. Franz, p. 31. Aquam baptismi esse organum seu instrumentum Spiritus Sancti, quo in ipso actu baptismi regenerationem operatur, non tantùm falsum, sed aliquid idololatricum omninò censendum est.* Quæ doctrina verò idololatrîca omninò est, ea salutem adimit, adeoq; articulum fundamentalem concernit. *Schlichtingius* *negō Q'ye* quærit, ne *Smaltzio* suo contradicere videatur; pag. 61. *aliud esse, quidpiam esse verè idololatricum, aliud esse aliquid idololatricum; illo ipsam rei veritatem, hoc tantùm vicinitatem quandam & similitudinem indicari.* Sed quis non videt, quàm inane hoc sit effugium? Qui enim ait, aliquid omninò idololatricum censendum esse, non innuit tantùm, id similitudinem & affinitatem aliquam habere cum idololatriâ, sed per se ac verè id esse idololatricum: quapropter etiam per se exitiosum esse saluti: Nimis ergò manifestum est contradicere *Schlichtingium* *Smaltzio*, dum nostram doctrinam negat per se exitiosam esse? Quid? quod paulò ante doctrinam nostram de *S. Cœnâ* tidem apertè *Smaltzi* dixerit *blasphemam & idololatricam opinionem* p. 332. Talis autem non potest non esse per se exitiosa, & damnabilis: Ubi subjunxit quoque: *Similis blasphemia, quod simili modo sit stipulatio bonæ conscientie & reconciliationis cum Deo Cœna Dominica, quemadmodum est baptisma illud, de quo id D. Petrus predicat.* Hos errores

gra-

graves jam tempus esset agnoscere, & nec seipsum, nec populum Christi miserè seducere, & effluere, quantum in vobis est, ut confusus his commentitiis consolationibus nihil minus cogitet, quàm ut Deo obediat. Quis ergò doctrinam nostram non censeret saluti exitiosam, quum eam blasphemam dicat, quàm nos miserè seducamur, ne præceptis Christi obediamus?

(10.) Huc deniq; facit quod *Smaltzius* fidem nostram de Sacramentis ita traducat *Exam. Cent. Error* p. 38 quod ea omnium errorum, imò etiam impietatis unica serè causa sit, eò quod rebus externis, quas quivis homo tradere potest, tantùm tribuatur, quantum ipsi DEO. Quæ omnia si pensi habeantur, abundè constabit, Socinianos inter se haud convenire, quàm periculosa sit doctrina nostra, meramq; esse hypocrisin, cum videri volunt eam non habere pro damnabili, vel exitiosâ, atq; hæreticâ, nec in meritò B. Meinerum judicasse, Socinianos id tantùm intendere, ut inter nostros eò facilius tolerentur, donec liberiores auram obtineant, vel uti *Schlchtting* loquitur p. 26. donec veritas, (Sociniana) suas ipsa vires explicet, & tam plena luce, ut olim Apostolorum ætate, cunctorum animos irradiet: tum enim nostram doctrinam anathemate feriendam esse: quemadmodum si Apostolorum tempore invec̄ta fuisset, anathemate ferienda fuerit, iudice *Schlchttingio*.

SUBSECTIO II. SPECIALIS.

ARTICULUS PRIOR

DE SACRAMENTO BAPTISMI

CONTROVERSIA PRIMA.

*Utrum Baptismus aquæ à CHRISTO institutus
& mandatus: an verò liberè ab Apostolis
usurpatus sit.*

Nnnnn 2

Soci.

Socin. Sen-
sentia.

Sociniani Baptismum aquæ præceptum ac institutum à Christo negant, ac contendunt è contrà eundem solum ceu liberam ceremoniam ab Apostolis assumptam & usurpatam haberi debere. Socinus disp. de Baptism. aquæ p. 229, 230. Baptismum rem indifferentem esse disputat, ita ut unicuiq; liberum relinquendum sit, an aquæ Baptismum accipere, num verò ab eo abstinere velit, & c. imò Volckelio l. III. de verâ Rel. c. IX. p. 33. probabilius videtur, Apostolos Johannis imitandi studio incitatos baptisasse CHRISTO pro suâ sapientiâ consentiente in re præsertim indifferente, & illi hominum generi adeo jam peculiare, ut tam subito abrogari sine gravi offensione vix ac ne vix quidem posset, quàm vi mandati Divini eosdem ad baptizandum impulsos esse, & l. IV. Cap. XV. p. 620. Baptismum non esse habendum in rebus mandatis, nec tamen interdictum. Conf. Smalzius contrâ Franz. p. 309. Ostorodus in Instit. c. XXXIX. p. 348. qui pariter αὐτοτόμωσ inſiciantur, Baptismum aquæ à Christo mandatum vel institutum esse;

Confutatio.

Quod verò Baptismus aquæ non pro liberâ & indifferente ceremoniâ haberi possit, sed à Christo mandatus & institutus vi mandati necessarius sit, hinc confirmamus argumentis:

I.

Quod Apostoli non sine mandato & voluntate Christi baptizarint, Christo adhuc in terris agente in diebus carnis suæ è Job. III, 22 collatione instituta cū Johann. c. IV. 1. colligitur, quia Baptismus ab Apostolis administratus Christo ipsi tribuitur. Si enim citra mandatum Christi baptizassent, Christus per ipsos baptizasse non diceretur. Quod verò Volckelius l. III. de ver. Relig. c. IX. p. 53 verisimilius esse censet, Apostolos id fecisse sine mandato ad imitationem Johannis, Christumq; rei huic indifferenti consensisse, id nullo modo fit verisimile. Quis enim discipuli Christi ausi fuissent sine mandato baptizare? Quo pacto diceretur Christus ipse (per Apostolos) baptizasse, nisi illis mandasset? Adhæc Job. III. 26. 27. docet ipse protobaptista, non nisi Divinâ autoritate Baptismum à discipulis Christi administratum (de eo enim quæstio erat) ut è collatione Matth. XX 25. Marc. XI. 30 Luc. XX. 4. liquet. Non potest, inquit, eâ de re, homo sibi quicquam sumere, nisi id detur ei de cælo, h. e. à Deo. Deniq; si Johannes non nisi mandato demum Divino

ing

instructus Baptismum dispensare potuit, quod Socinus concedit de Baptism. aqua p. 237. quâ discipulis suis, qui tum velut infantes adhuc fuere, liberum reliquisset Christus, pro arbitrio Baptismum dispensare, ita ut citrà ejus mandatum Magistri, cum adhuc in Schola ejus essent, baptizarent?

(II.) Post resurrectionem suam Christus solemniter instituit & sancivit Baptismum aqua *Matth. XXIX. 19 20.* seu adhibendum penes omnes gentes, & usq; ad consummationem seculi: Ubi frustra sunt adversarii, Baptismum *doctrinae*, non *aqua* intelligentes, ut p̄ro Socinus de Baptism. aqu. c. II. p. 13. *Smaltzius* cont. Frantz. p. 309. *Ostorodus* Institut. c. XXXIX. *Volckelius* imitationem solum denotari asserens. Repugnat enim (1.) propria vocis significatio, quâ Baptismus *ablutionem* vel *asperersionem* aquâ factam designat, nequaquam verò *doctrinam* vel *initiationem*. Hanc enim esse propriam vocis significationem, nec ipsimet *Sociniani* dixerint: ut taceam, quod nondum satis putarint verbum βαπτίζω *spiritum* in Scripturis S. vel *Doctrinam*, vel *initiationem* significare. A propria verò vocis significatione citrà gravissimas & prægantissimas rationes, imprimis in ejusmodi classicis locis, & sede propria doctrinae, discedere fas non est, nisi è *Scripturis ludum* & *jocum* facere velimus, ut fatetur *Smaltzius*, de *Divin. Christ.* c. IV. (2.) Ubicunq; vox βαπτίζω occurrit sine aliâ *determinatione*, aut *descriptione* figuratam significatione innuente, ibi semper in Scripturis baptismus aqua designatur. Quæ Regula eousq; firma censenda, donec luculento exemplo infringatur. At nulla hic determinatio, nulla talis descriptio habetur, quæ impropiam significationem requirat. (3) Si baptismus solum doctrinae, quem vocant *Sociniani*, vel *initiatio* hâc voce designaretur, quâ id percipere potuissent discipuli, siquidem nunquam ea voce baptismi designata fuerint? Quum in Judæâ antea baptismum aqua dispensarint, quid aliud colligere ex hoc mandato poterant, quàm quod inter omnes gentes uti docere, ita etiam baptismum aqua dispensare jam debeant; quodque hoc muneris *docendi* & *baptizandi aqua* sibi hîc demanderet, quemadmodum Johannes missus erat divinitus & ad docendum, & ad baptizandum aqua? (4.) Adhæc discriminatur hîc apertè

Nnnn 3.

Doq.

Doctrina à baptismo tùm voce $\mu\alpha\theta\eta\tau\acute{\epsilon}\upsilon\sigma\alpha\tau\epsilon$, quam explicant quidem discipulos facite, ubi tamen doctrinae significatio excludi nequit, ut è vocis etymò, & loco parallelo *Marc. XVI. 15.* liquet; tùm adjuncto mandato peculiari: *Docete eos servare omnia, quae praecepti vobis.* Quì ergò verbum $\beta\alpha\pi\tau\acute{\iota}\zeta\mu$ de solâ doctrinâ intelligeretur? Excipit Socinus de *Bapt. p. 30.* Quod Christus antea implicitè dixit, id postea perspicuè declarasse de doctrinâ mysteriorum salutis, & praeceptis vitae. At quis Graecæ lingvæ gnarus concedet verbum $\mu\alpha\theta\eta\tau\acute{\epsilon}\upsilon\sigma\alpha\tau\epsilon$, quod à doctrinâ originem habet, doctrinam tantùm implicitè & obscurè inferre, verbum verò $\beta\alpha\pi\tau\acute{\iota}\zeta\omicron\nu\tau\epsilon\varsigma$ perspicuè significare docere? (5.) Luculentus insuper est locus parallelus *Marc. XVI. 15.* *Predicete Evangelium omni creature. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ubi verbum $\mu\alpha\theta\eta\tau\acute{\epsilon}\upsilon\sigma\alpha\tau\epsilon$ per præconium Evangelii declaratur, & juxtâ cum doctrinâ baptismus aquæ demandatur, ubi nullatenus per baptismum vel doctrinam, vel initiationem intelligi potest, quòd agnoscit ipse Socinus, ideoq; novam significationem comminiscitur, baptismum idem esse quòd pœnitentiam, quæ tamen hic planè aliena; siquidem hîc de eodem baptismo, vi collationis locorum, agatur, quòd de *Matth. XXII. 19.* (6.) Exequutio hujus mandati sine dubio est optimus ejusdem interpres. Ille ergò baptismus citrà controversiam demandatur hîc Apostolis, quem unâ cum præconio Evangelii dispensarunt in muneris sui administratione. At baptismum aquæ dispensarunt Apostoli. *Act. II. 38. c. X. 47. c. XIX. 5 &c.* Ponamus iis tantùm demandatam esse initiationem doctrinæ, annon limites mandati egressi fuissent, si discipulos fecissent, aut initiassent non doctrinâ tantùm; sed etiam aquæ baptismo. (7.) Quæ omnia tam luculenta sunt, ut *Anabaptistæ*, quos Socinus pro fratribus habet, *tr. de Bapt. p. 235.* agnoscant hîc baptismum aquæ institutum esse; atque è Socini complicibus, cætera eidem $\epsilon\upsilon\omega\psi\acute{\iota}\phi\omicron\varsigma$ in plerisq; *Georg. Blandratae, & Francisc. Davidis* fateantur, verba Christi de baptismo aquæ intelligenda esse, *refutat. D. Georg. Major. de Doctrino N. 4. f. 1.* nec non *Georg. Enjedinus in Explic. locor script. p. 116.* qui & praeceptum hîc esse à Christo aquæ baptismum, & mandatum hoc A-

postea

postolos aquâ baptizantes exequutos esse, concedit. Quid? quod ipsâ praxi hodiè id confiteantur Sociniani, dum in Transylvaniâ baptizant aquâ in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, vi mandati, & institutionis Christi; quo de sequenti quæstione.

Rationes quæ in contrarium allatæ sunt à Socino, facili negotio expediri possunt: utpotè (1) quod Apostoli nusquam baptizasse legantur hâc adhibita formula, sed tantum in nomen Christi Act. II. 38. c. II. X. 16. c. X. 48. c. XII. 5. Gal. III. 27. (2.) Quod Apostolo luculentissimè testetur 1. Cor. I. 17 non ad baptizandum, sed Evangelizandum sese legatum esse, quum tamen idem illius, quod cæterorum Apostolorum, munus fuerit. Ita Volckelius p. 665. è Socin. disp. de Bapt. c. II, p. 13. Ostor. Instit. c. XXXIX. Resp. ad (1.) Quod attinet formulam baptizandi ab Apostolis adhibitam, negamus eandem diversam fuisse à formula verbis institutionis comprehensa. Neq; verò id evincit argumentum Socinianorum. Nam primò à negatione Scriptionis ad negationem ipsius rei non valet consequentia. Licet non sit licetis proditum, quod Apostoli baptizarint in nomine Patris, Filii & Spiritus S. negari tamen non potest illicò, Baptismum Apostolorum ita administratum esse. Nec id annotatum est disertè in actibus Apostolorum, quod Apostoli initiarint, vel instituerint novos Christianos in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Ergone id quoq; negandum? Proinde nec hâc ratione glossa Socinianorum locum habere poterit. Ita administrationis S. Cœnæ in pane & vino, exempla non extant in actibus Apostolorum; num verò ideò negandum S. Cœnam fuisse administratam in primitiva Ecclesia? Secundò, scopæ sunt dissolutæ. Apostoli dicuntur baptizasse in nomine Jesu: E. in solius Jesu nomine baptizantur. Similiter colligerem: Apostoli dicuntur docuisse in nomine JESU Act. IV. 18. E in solius JESU NOMINE docuerunt, quod est contrà mandatum Christi interprete Socino, baptizate, id est, docete in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Eadè ratione concludit Hosius de Sacra Eucharist p. 34. & Bellarmino l. 4. de Eucharist c. 24. Act. II. 42. 46. Fideles perseverabant in fractione panis E. unam tantum speciem administrarunt Apostoli, quod est contrà institutionem Christi. Tertiò Basilius ait, per compendium S. S. Baptismum administratum dici in nomine Christi, quod Christi appellatio sit totius Deitatis professio, πρὸς τὸ αὐτῶν.

Rationes
contrariae Socin.
expenduntur.

De formula
baptizandi
Apostolica.

ἅγιος πνεῦμα τῷ τῶ χριστῷ ὡς προσήγορία τῶ παντός ἐστὶ ὁμολογία,
 δηλῶ γὰρ τοντε χριστὸν Ἰησοῦν, καὶ χριστὸν υἱὸν, καὶ τὸ χριστὸν τὸ
 πνεῦμα. Eadem habet Ambrosius l. 1. de S. S. c. 3. Quarto phrasis
 in nomine Jesu, non exprimit formam Apostolis in Baptismo usi-
 tatam; alioquin variantes fuissent formulæ adhibitz *Act. II. 38. ἐπὶ
 τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ χριστοῦ; Cap. X. 48. ἐπὶ τῷ ὀνόματι τῶ χριστοῦ. Cap.
 XIX. 16 εἰς τὸ ὄνομα τῶ κυρίου Ἰησοῦ & discessū fuisset à præscriptâ ba-
 ptizandi formulâ, sed exprimit tūm autorem Baptismi, per quem
 Deus hunc ritum instituit, & Apostolis mandavit, & cujus jussu,
 virtute, atque autoritate Apostoli Baptismum administrarint.
*Conf. Exod. V. 23. Deut. XIX. 28. Matth. VII. 22. Marc. IX. 18. 29. Luc.
 XXIV. 47. Act. III. 6. c. IV. 7. c. VII. 8. tūm finem Baptismi, quod ba-
 ptizati per baptismum obligentur eis τὸ ὄνομα in cultum, fidem, obe-
 dientiam & professionem Jesu Christi veri Messie & Redemptoris. Sic
 prædicantur pat. pro nomine Jesu. Act. XV. 26. c. XXI. 13. Quum e-
 nim Christus à Judæis reprobatus fuerit, siq; omnia sua machina-
 menta à veris unius Jesu nomen direxerint, ut ex *Act. IV. 12. 18. c.
 XXVI. 9* liquet, idcirco Apostoli & informabant conversos de hoc
 Jesu à Judæis rejecto & crucifixo, quod is sit Christus, & quod in
 nullo alio sit salus, præterquam in nomine Jesu *Act. IV. 12. &
 obligabant* eosdem per Baptismum ad professionem hujus nomi-
 nis Jesu ad salutem. *Rom. X. 9.* quemadmodum id testantur acta
 Apostolica. Ita quum *Act. II. 21.* Petrus declarasset, quod, qui no-
 men Domini invocet, salvus sit, quodq; hic Jesus Dominus & Christus
 sit v. 36. jubet unumquemq; baptizari in nomine JESU CHRISTI,
Conf. Act. VIII. 12. 16. c. X. 48. Hinc factum, ut in Baptismo singu-
 lariter invocarent nomen Domini Jesu, qui ad Jesum convertebantur
Act. XXII. 16. hoc ipso novis donis affecti, ut in Christum fortius
 credere perrexerint. Quod agnoscit ipse Eusebius, dum ita scri-
 bit: *Quia Judæi Jesum pro Messia agnoscere noluerunt, idcirco qui tan-
 dem conversi Christum Messiam agnovere, illi dicti sunt baptizati in no-
 mine Domini Jesu Christi, invocato nomine Domini Jesu, quem antea
 cognoscere detrectarunt & persecuti sunt.***

2.
Dei. Cor. I. 17.

Quod II. Verba Apostoli concernit i. Cor. I. 17. ea accipi
 debent sensu comparato, non absoluto, quod non tantum missus sit ad
 baptizandum.

*baptizandum, quàm ad Evangelizandum, idq; ideo, quia in speciali vocatione, quæ describitur Act. IX. 22. nulla fit mentio mandati de Baptismo per Paulum administrando. Præterea, cum prior ministerii pars esset predicare, dispensavit Apostolus Baptismum operâ aliorum, ipse functus munere Doctoris 1. Tim. II. 7. tametsi haud nescius fuerit mandati CHRISTI Apostolis dati, tum è conversatione cum discipulis Act. IX. 19. tum è revelatione Domini & in-
fûndu Spiritus S. Gal. I. 1. 1. Cor. XI. 23. Act. IX. 7. Similis compara-
tiva locutio habetur Jer. VII. 21. 23. Os. VI. 6. Matth. IX. 13. Quod si verò ad Pauli munus planè non pertinuit *baptizare*, tum pec-
cavit Paulus, & transgressus est limites officii sui, quod tamen ali-
quos baptizârit 1. Cor. I. 14. 15. Act. XII. 8. Rom. XVI. 23. 1. Cor. XVI. 15.*

III. Quod Christus unâ cum doctrina Evangelii sanciverit ac Apostolis, ejusq; in ministerio sacro successoribus deman-
darit baptismû aquæ, è *Marc. XVI. 6.* luculentèr patet, et si hæc pro-
missio baptismi addita habetur: *Quicumq; crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur.* Quod si ergò Christus baptismum juxtâ cum fi-
de requisivit, non potest utiq; baptismus ceu indifferens quoddâ ab Apostolo liberè adhibitum æstimari. Socinus in varias hic sese convertit formas *de bapt. c. III. p. 34. (1.) Christû non mandasse hic expressè baptismum, nec baptismum ita requiri, ut fidem, (2.) Designari voce baptismi hic vel pœnitentiâ, vel confessionem nominis Christi, vel utrumq; simul. Eph. V. 26. Tit. III. 5. Ebr. X. 9 Resp. Mera hæc uerba Φύ-
στου. Quia (1.) mandatum præcesserat hoc promissionis verbum, quod illi annexum fuit. Conf. Matth. XXIX. 19. satisq; id docet, unâ cum fide baptismum requiri à Christo ad salutem æternam. Quòd verò extraordinariè etiam sine baptismò quis salvari possit, nihil ordini divino derogat, quo baptismus cum fide ad salutem requiritur, uti Socinus *de bapt. p. 38.* ipse fatetur, utrumq; hic à Christo requiri. (2.) Nulla prorsus ratio est, cur deseratur hic propria & usitata vocis significatio, & impropria quædam, Scripturæ haud usitata sive de pœnitentiâ, sive de confessione nominis Christi arripia-
tur, quæ nec alibi, nec citatis locis locum habet, quippe quæ iti-*

Ooooo

dem

3.
è Marc. XVI.

16.

dem de *ὕδατος βαπτισμῶς* accipienda sunt. Quapropter confitemur in communi vocis notione, velut in communi via, & possessione propriâ, nec ab eâ dimoveri nos. patimur sine rationibus evidentissimis, ne Scripturæ luculentam assertionem, Christi quæ sacratissimam institutionem floccipendere videamur.

IV.
è Job. III. 5.

De baptismo
ibi agi doce-
tur.

1.

2.

3.

I V. Quod requisiverit Christus Baptismum aquæ ab omnibus, qui regnum Dei ingredi volunt *Job. III. 5.* Quicquid verò vi ordinis divini ab omnibus in Nov. Test. regnum Dei ingredi cupientibus requiritur, id pro nudâ, liberâ, & indifferente ceremoniâ haberi non potest. Quanquam verò de *Baptismo* hic sermonem esse inficiuntur Sociniani, probari tamen citrà negotium id potest. (1.) è *literæ συνβαπτισμῶς*, à quâ non esse discedendum, nisi ob prægnantes rationes, requirunt *λέγες τῆς ἐγγυμνείας*. Clara enim sunt verba, quum de Baptismo accipiuntur, qui ex *aquâ & Spiritu* constat, è *contrâ obscura, incerta, & dubia* sunt, cum de alia quadam re explicantur. (2.) Ex *ἀπολογίῃ & textus συνέχειας*. Narratur hæc colloquium Nicodemi cum Christo institutum, cujus *ἀπολογία* hæc erat: Quum Christus multa dixisset in Johannis commendationem, omnis populus audiens & publicani glorificaverunt Deum, baptizati Baptismo Johannis, Pharisei autem & Legis periti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo *Luc. VII. 29. 30.* Ex numero autem Phariseorum, qui æquiores sese præbebant Christo, erat *Nicodemus*, quum quæ scandalum sibi ipsis fingerent reliqui ex introducto baptismationis ritu novo, quem conferebat Johannes in remissionem peccatorum, contrâ consuetudinem & usum reliquarum purgationum legalium, de nocte adit Salvatorem ipse, petens sibi adimi scrupulum, utique de Baptismo non alio, quàm eo, quem è *cælo esse, & virtutem divinam habere* negabant *Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores Luc. VII. 30. seqq.* Hic est ipsissimò scopus Nicodemæ quæstionis, quod velit privatim erudiri, an possit tanta vis esse ritus nuperrimè à Johanne inchoati, adeoque oportet Christi responsionem quoque ad illū scopum collineare. (3.) Ex *aliorum Scripturæ locorum συνβαπτισμῶς*. Nam si quæras, quæ sit aqua h. l. quæ non jubetur *bibi*, quod alias de *spirituali*

rituali aqua dicitur, sed ita adhiberi, ut inde renascamur, quod fit per immersionem & ablutionem peccatorum *Act. XXII. 16.* certum est nullam talem aquam agnoscere Scripturam, quæ per modum lavacri tantos effectus producat, quam *Baptismum*, qui ob id aqua absolutè *Joh. V. 6. aqua munda Ebr. X. 23. Lavacrum aqua in verbo Eph. V. 26. Lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. Tit. III. 5* dicitur. Nec dici potest, quod *ly Spiritus* sit ἐξ ἡντι-
 κόν̄ vocis aqua, quum nullus locus dari queat, in quo vox aqua nudè & simpliciter posita *Spiritum Sanctum* significet. Adde quod è dictis citatis constat, quod aqua non spirituali, sed corporali regeneratione adscribatur, autore sc. Spiritu Sancto. Nam Spiritus S. agit efficaciter interiorius per aquam elementum exteriorius. Unde *CHRISTUS* tam *mediam*, quam *summam* causam regenerationis exprimere voluit: (4.) *E. similis locutionis ἀπερὸν.* Verba Baptistæ *Matth. III. 11. Ipse baptizabit vos Spiritu & igne* solent pro sua sententia allegare *Sociniani*, quasi ex illis palam sit, voculam *ET* ἐξ ἡντικόν̄, nonnunquam accipi, cum pro eadem re accipiatur *ignis & Spiritus Sanctus*. Verum tantum abest, ut hic locus quidquam nobis adversetur, ut ex eodem quoq; confirmari possit nostra *ὁρθόδοξία*. Nam & ibi copula καὶ retinet proprium & nativum sensum: aliàs sequeretur Apostolos in Festo Pentecostes non *Spiritu Sancto*, sed *nudo igne* fuisse baptizatos, aut *spiritualem* tantum ignem, non ipsum etiam *Spiritum Sanctum* in Apostolos effusum esse; si scilicet *ly καὶ* idem significaret, quod *id est*. Dicendum ergo, quod vox *ignis* non sit *Metaphorica*, sed denotet externum illud *Symbolum*, in quo & per quod datus fuit Spiritus S. videlicet *lingvas igneas*. E quâ explicatione lux accedit nostro loco, quod vox *aqua* non sit *Metaphorica*, sed denotet *externum* illud *Symbolum*, per quod Spiritus S. in Baptismo regenerationem efficaciter operatur. (5.) *E venerande antiquitatis ἐγενεῖα.* Hanc Christi sententiam omnes penè de Baptismo interpretantur, scribit *Marloratus ex Bucero* super h. l. ut ut alios *Calvinianos* aliter interpretari constat. vid. *August. tract. XI. & XII. in Johan. Cyril. l. I. in Jo-*
 ban.

O O O O O 2

han.c.XLII. Chrysoft. hom. XXIII. in Joban: Theophyl. in h.l. &c. Nulla autem ratio est, cur ab Ecclesiæ receptâ interpretatione textui consentaneâ discedatur. (6.) E. Sociniana sententia ἀντιλογία. Quæ ex aquâ hic facit ablutionem peccatorum: & ex ablutione peccatorum penitentiam: l.c. p. 46. 47. quum diversa sint aqua, & ablutio peccatorum, ut & penitentia; nec ex penentiâ, & Spiritu regeneremur, aut ex ablutione peccatorum, sed aqua lavacrum sit regenerationis in baptismo Tit. III. 5. Eph. V. 26. quâ abluimur à peccatis Act. XXII. 16. Absurda insuper & ἀσύστατος est Socini glossa, quod regeneratio ex aquâ sit renovatio voluntatis, ex Spiritu renovatio intellectus pag. 47 quum S. S. & mentem, & voluntatum illuminet, ac renovet; ac renovatio distingvatur à regeneratione Tit. III. 5. nec partialiter regeneremur, aquâ quod ad voluntatem, Spiritu quod ad mentem, sed totus homo regeneretur ex aquâ & Spiritu. Quid? quod Socinus fateatur idem hic per aquam intelligi, quod Marc. XVI. 16. per baptismum, nec quicquam similis reperiri, quàm hæc dicta Marc. XVI. 16. Job. III. 5. loc. cit. p. 47. 48. At illic baptismi Sacramentum indigitari jam demonstravimus. Idem ergo etiam hic indigitatû. Deniq; agnoscit Socinus, respici hic ad baptismum Jobannis, in colloquio cum Nicodemo p. 49. Quî ergo baptismum hic designati dubium esse potest.

V.
Ab Apostoli-
co factô.

V. Apostoli Baptismum non habuere pro ceremoniâ indifferente, sed pro necessario medio salutis, nec ut ritum liberam dispensarunt Baptismum; sed vi officii sibi concrediti, & ex mandato Christi eundem administrarunt: Prius constat ex Act. II. 38. cap. X. 47. Posterius comprobatur officium Apostolorum, qui fuerunt legati Christi, nec partes suæ legationis transgredi, vel præter mandatum Christi aliquid agere in partibus officii obeundis potuerunt. Quod si pro lubitu & arbitrio Baptismum dispensarunt, & dispensandum assumpserunt Apostoli, annon ἐβελθησικεία hæc quædam fuerit? Cujus reos Apostolos agere nefas. Hæc enim est cultus divini indoles, ut si non quoad circumstantialia & περιστατικά, saltem quantum ad substantialia & ουσιαστικά expresso Dei man-

mandato nitatur. *Matth. XV. 9. Col. II. 23.* Nullum autem extat
mandatum Divinum de baptizandis aquâ omnibus creaturis,
si locus iste *Matth. XXII. 19.* enervetur. Proinde si *Baptismus*
aqua pertinet ad cultum divinum, oportebit utiq; eundem fun-
datum esse hisce institutionis Baptismi verbis. Sit ergo dilem-
ma: *Aut* respexerunt Apostoli, uti in docendo ita in aquæ Ba-
ptismo dispensando, ad mandatum *CHRISTI, docere & baptizare,*
aut non respexerunt, sed liberè conjunxerunt Baptismi admini-
strationem cum Evangelii prædicatione. Si istud, habemus
quod volumus; Si hoc, à suspitione ἐπιληθρησκείας liberari Apo-
stoli non poterunt, quod præter mandatum divinum, præter in-
stitutionem *CHRISTI* Baptismum esse voluerint *publicam & sole-*
mpnem quandam nominis *CHRISTI* professionem, quod aiunt So-
ciani, eandemque hoc nomine aliis commendari. Ne-
quicquam excipit *Socinus c. III. p. 14. 23.* Potuisse Apostolos bap-
tizare & aqua tingere, etiam sine mandato, quia id interdicitum non
erat & in iis, quæ ad cultum *DEI* pertinent, quædam suscipi sine man-
dato, exempli gratiâ, à Gideone extructio altaris *Jud. VI. 24.* à Da-
vide tempis. *1. Reg. II. 11.* ab Apostolis impositio manus *Act. II. 17.* Resp.
Prohibetur non tantum ne agamus contra *DEI* mandatum, sed
ne ei etiam quid addamus in iis, quæ cultum *DEI* concernunt
Deut. IV. 2. c. XII. 36. Frustrâ cultu electiō *Deus* colitur. *Matth.*
XV. 9. Sancti verò illi, etsi expressum non habuere mandatum,
egere tamen ex instinctu *Spiritus Sancti*, qui par est mandato. Cau-
sa etiam longè diversa est. Nam illa exempla concernunt ejusmo-
di ritus, aut res externas, quibus in se ac per se nulla tribuitur
vis, aut efficacia; Hic verò de *Sacramento* agitur, hoc est, de tali
ritu, qui ad remissionem peccatorum consequendam requirebatur,
Act. II. 38. ad ablutionē eorundē *Act. XXII. 16.* ad regenerationem ac re-
novationem *Tit. III. 5.* ad salutem ipsam. *1. Petr. III. 21.* &c.
ne dicam, quod *is medium* horum consequendorum ab
APOSTOLIS creditus sit. Et qui ausi fuissent *APOS-*
TOLI citrà mandatum exigere. **BAPTISMUM**, si

is ANA-

is analogie fidei non congruit, uti nugantur Socinus p. 55 56. Num patiemur nobis à Socino persuadere Apostolos agitados à Sancto Dei Spiritu citrà mandatum hoc ipso sese accommodare voluisse tum apud conversos Ethnicos, tum Judæos hac externa ceremonia. Non requirebant utiq; baptismum ut ἀδιάφορον. Sed ut tale quid, quod juxtâ cum pœnitentia necessarium sit ad remissionem peccatorum Act. II. 38.

VI. Generale est axioma Christi Job. III, 27. Non potest homo sibi sumere quicquam, nisi ei datum fuerit à cælo, vel à Deo. Quod adhibetur ibidem in specie ὕδατος βαπτισμῶ. Si ergo baptismi aquæ dispensatio fieri non potuit, nisi coelitus demandata, utiq; Apostoli sine mandato divino baptizare non potuerunt. Si Johannis baptisma institutionis Divinæ fuit, non poterit baptismus Apostolorum esse arbitrii & instituti humani, quum unum tantum sit baptisma Nov. Test. specie idem, teste Apostolo. Eph. IV. 2.

VII. Speciale mandatum Dei habetur de Paulô Act. XXII. 16. ut baptizaretur; unde Ananias Paulum vi mandati divini baptizavit, minimè verò pro privato arbitrio Baptismum dispensavit eidem. Eadem autem ratio est aliorum, quæ Pauli. Quod si alios conversos baptizarunt Apostoli & Apostolici viri citrà mandatum, quid opus fuit peculiari mandato de baptizando Paulo?

VIII. Si Baptismus medium est remissionis peccatorum & salutis, necessariò consequitur, Baptismum non esse merè liberam ceremoniam, sed à Deo institutum esse ac demandatum, quia media salutis non nisi ab ordinatione & institutione divina dependent: At Baptismus est tale medium. Marc. XVI. 16. Act. II. 38. c. XXII. 16. 1. Pet. III. 18.

Deniq; IX. agnoscant nonnulli è fratribus Socini Baptismum, à Christo institutum esse, quod cum primis Martinus Czechovitus ex professò contrà Socinum propugnavit, vid. Disp. Soc. de Baptis. aqua p. 202. Quid? quod Socinus ipse fateatur, Baptismum ab Apostolis institutum l. c. p. 72. & Ostorodus Instit. c. XXXIX. p. 354. Eundem ab Apo-

*Apostolis ceu vicariis Christi & quidem impulsu Spiritus Sancti, ut agnoscit Volckel. l. c. p. 670. sancitum ac dispensatum esse. Quicquid autem Apostoli ut CHRISTI vicarii ex instinctu Spiritus S. ordinaverunt & instituerunt, id non liberum est, sed vi institutionis illius necessarium: Quicumq; & instinctu & impulsu divino baptizarunt aquâ, illi è mandato Dei baptizarunt aquâ. Ratio est, quia in Sanctis D E I. hominibus *mandatum externum & impulsus interior æquiparantur.* Quid enim aliud est divinus ille impulsus, & instinctus Spiritus Sancti quam mandatum internum & occultum, ejusdem omninò auctoritatis ac momenti cum externo & manifesto mandato. At Apostoli baptizarunt aquâ ex instinctu, & impulsu divino. E. tandè convictus ab evidentiâ mandati Christi *Matth. XXII. 19.* Hodie aquâ tingere Socinianos in nomine Patris, Filii, & S. S. antea observatum. Quod in *Transsylvania* fieri, atq; ita sancitum fuisse *Anno 1636. in Synodo Soci-nianâ,* & confessione ab ipsis adornatâ, ut sc. aquâ baptizetur *in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. autore Superintendente Photiniano Daniele Becken,* transmissâ eâ confessione certior redditus sum: ut ipsi met jam adversarii fateri cogantur, in solemni illo mandato *Matth. XXII. 19.* aquæ baptismum sancitum esse.*

CONTROVERSIA SECUNDA.

Utrum Baptismus ad omnes spectet, & ab omnibus suscipi debeat, qui Christiani sunt?

Sociniani negativam amplectuntur, & quum Baptismum pro re arbitraria habeant, quæ maximè temporibus primitivæ Ecclesiæ convenerit, opus non esse contendunt, ut omnes Christiani Baptismo initiarentur. Vid. Socin. de Baptism. aquæ cap. III. IV. p. 57. & 126. ubi *sententia nostra, inquit, est, baptismum pro iis institutum fuisse, qui antea J. Christi nomen publicè professi non essent, eos verò qui*

jam

Socin.
Sententia.

Ejusdem
Confutatio.

I.
A Christi in-
stitutione.

II A pro-
missione
Christi.

III.
Ab Apostoli-
câ jussione.

jam professi essent, baptismo ringi non consuevisse, aut certe non oportuisse. Et in præfat. p. 3. inficiatur, Baptismum aquæ externum ita à Christo ejusq; Apostolis institutum fuisse, & præceptum, ut nemo prorsus sit, qui eo vel neglecto, vel non ritè suscept, omnino Christianus appellari possit. At ab omnibus Christianis Baptismum suscipiendum esse, necesse quæquam Christianum, qui Baptismum neglexerit, aut non susceperit, hæc confirmant rationes:

I. *A Christi institutione.* Quicquid æquè à Christo institutum est, ac verbi ministerium, & Ecclesiæ Domini commendatum usque ad consummationem seculi, id omni tempore, adeoq; hæc etiam nostrâ ætate necessariò retinetur in Ecclesia. At Baptisma æquè institutum est à Christo ac ministerium verbi *Matib. XXIX. 19.* ac commendatum Ecclesiæ Dei usq; ad consummationem seculi *v. 20.* quum in aprico sit: Apostolos hęc sustinuisse vicem omnium Ecclesiæ Doctorum, & quod istis mandatum dicitur, id his quoq; commendatum censei debeat. E. Præterea: Quocunq; tempore in N. T. vixerunt & vivent gentes, eodem etiam administrari debet Baptismus. Quia Christus jubet baptizari omnes gentes. At omni tempore. E. Demùm quod hoc mandatum concernat omnia tempora, eo ipso profitentur Sociniani, quod velint idem accipiendum de Baptismo *doctrina*; quum *doctrina* sit omnium temporum.

II. *E promissione Marc. XVI. 16.* Ut enim fides huic promissioni inclusa ab omnib; requiritur, qui ejus compotes reddi volunt, ita & baptismus requiritur ab omnibus, qui salvari volunt. Frustrâ restringantur verba *ad tempus certum ob signorum mentionem*; Socin. p. 43. quia signa subsequutura dicuntur indefinitè, non verò omni tempore. At baptismus æquè ut fides ab omnibus salvandis requiritur. *Quicumq; crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit.*

III. *Ab Apostolicâ jussione.* Quodcunq; tanquam necessarium præceperunt Apostoli, id nunquam non est necessarium, *ἐν δὲ παντὶ*. Quum eadem sit Christianismi ratio omni ætate, quantum ad necessaria. At Baptisma aquæ præceperunt Apostoli tanquam necessarium Christianis. Ita Petrus sciscitantibus auditoribus, qui Christo nomen profiteri volunt, quid facere necessarium sit?

fit? præcipit, ut poenitentiam agant & unusquisq; in nomen Jesu Christi baptizetur Act. II. 28. Et quod Petrus necessarium judicavit, ac tanquam necessarium præcepit, idem quoq; sine dubio cæteri præceperunt Apostoli. Excipit Socinus p. 52. Præceptum Petri tantummodo tempus istud respexisse, nec omnia præcepta Apostolica esse perpetua, ut illud de abstinendo à sanguine & suffocato. Resp. Quod isto tempore necessarium fuit Christianæ Ecclesiæ, idem hâc quoq; ætate necessarium est. Nec enim possunt Sociniani vel apicem è Scripturis proferre, quod minus necessarius sit hoc tempore Baptismus, quàm fuerit tempore Ecclesiæ primitivæ, vel, quod illa Baptismi usurpatio tantùm certi temporis esse debuerit. Quin potius Apostoli in suis Epistolis citrà exceptionem gravitèr inculcant Baptismum Rom. VI. 34. Gal III, 27. Col. II. 12. Eph. V, 22. 1. Cor. XII. 13. Tit. III, 5. 1. Pet. III, 21. Falsum autem esse, quod adhortatio Petrina tantùm illud tempus respexerit, manifestum est partim è sine remissionis peccatorum, qui immediatè additur, partim è ratione versu sequenti indigitatâ: quod promissio illa non modò sit eorum, qui tum præsentés erant, sed & liberorum ipsorum, nec non omnium longè post futurorum, quoscunq; advocaverit Deus, in quorum numero, si esse velint Sociniani, ipsi viderint, num baptismum post habere possint. Alia verò ratio est præcepti de suffocato & sanguine, quod temporarium saltem fuisse, donec animi Gentium & Judæorum coalescerent, ex ipsa promulgatione constat Act XV. 20. 21. id quod de Baptismo demonstrare nunquam poterunt adversarii.

IV. *A perpetua Ecclesiæ praxi & observatione.* Quodeunq; perpetuâ religione observarunt Ecclesiæ ad hæc usq; tempora juxta sacratissimam Christi institutionem, id hodieq; in Ecclesiâ necessariò retinetur. At Baptisma aquæ observarunt Ecclesiæ ad hæc usq; tempora juxta tenorem sacratissimæ institutionis Christi: quod de primitiva Ecclesiâ loquuntur acta Apostolica c. II. 40. c. IX, 12. 37. c. IX. 19. c. XVI, 15. 33. c. XXII, 16. De subsequa Ecclesiâ testantur historia Ecclesiastica, quarum veritatem in dubium vocare nec debent nec possunt Sociniani, Obvertit

PPPPP

IV.
A perpetua
Ecclesiæ pra-
xi & obser-
vatione,

autem primipilus Socinus : multos ad Christum conversos non baptizatos : Act. IV. 4. c. V. 14. c. VI. 7. c. IX 34. Sed concedit ipse, potuisse Baptismi mentionem omitti, ut ut illi omnes baptizati fuissent, & à Petri verbis Act. X. 47. & Eunuchic. II X. 36. videri colligi poss, ereceptum fuisse, ut qui ad Christum converterentur, baptismo tingerentur. Quod autem suspicatur ibidem (pag. 127.) id non usq; adeò necesse fuisse, id repugnat institutioni Christi; quod negat penes eos observatum, qui ab ineunte atate Christo nomen dedere, quomodo id probabit. Non enim inquisivere Apostoli, cum aliquot millia baptizarunt, Act. II. num in eorū numero essent, qui jam antea nomen Christo dederint, sed omnes baptizarunt. Quod verò peculiariter talium mentio non fiat inde est, quod Lucas describat conversionem illorum, qui primū ad Christum adducti: non autem quomodo illi suos deinde docuerint vel initiarint, quod per baptismū factum esse, *historia testatur Ecclesiastica*. Regerit autem Socinus, palàm esse, quod statim post Apostolorum mortem, quin etiam ipsis Apostolis adhuc viventibus, multæ aniles superstitiones, multæ divini cultus corruptelæ, multæ deniq; hæreses in Ecclesiam irrepserint, eamq; perturbarint. Contrà id è Scripturis probare debebat Socinus, ad has aniles superstitiones, ad has corruptelas divini cultus, ad has hæreses pertinere lotionem in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. factam, ubi sanè eum æternū obmutescere oportet, quum anilis superstitio haberi non possit citrà blasphemiam, quod Johannes Baptista instinctu divino cepit, nec corruptelæ cultus divini, quod ipse Christus instituit, nec hæresis, quod Apostoli & Sancti Dei homines *Φερέμενοι ὑπὸ πνεύματι & αἰσ* perpetuò inculcarunt & præceperunt, nec deniq; horum quidquam, quod *Ecclesia Christiana* omni tempore ad exemplum primi Novi Test. præconis juxtâ institutionem unici sui capiteis, & ad tenorem mandati & præceos legatorum Dei sanctè observavit.

V.
A baptis-
& circum-
cis. compar.

V. A Baptismi & Circumcisionis comparatione. Quæ fuit necessitas circumcisionis in Ecclesiâ V. T. eadem est necessitas Baptismi in Ecclesiâ N. T. At circumcisio omni tempore in V. T. erat observata necessaria vi institutionis divinæ. E. & Baptismus erit observa-
tu

tu necessarius omni tempore in Ecclesiâ N. T. Major probatur, quia Baptismus est *ἡ βαπτισμὸς ἐν ὕδατι*, circumcisio, quæ fit sine manibus *Col. II. 11. ἡ βαπτισμὸς τῶ χριστοῦ* vers. eodem. Et successit in locum circumcisionis legalis. Quemadmodum in V. T. Deus inibat fœdus cum circumcisis *Gen. XVII. 10.* Ita Baptismus in Novo T. est stipulatio bonæ conscientie erga Deum *1. Pet. III. 21.* Circumcisioni addita fuit promissio: *Ero Deus tuus & Deus seminis tui. Gen. XVII. 5.* pari ratione de Baptismo dicitur *Gal. III. 26.* omnes Filii Dei estis per fidem *v. 27.* Quicumq; in Christum baptizati estis, Christum induistis, eiq; additur *Act. II. 38. seqq. vobis & liberis vestris facta est hæc promissio.* In Circumcisionis institutione Deus sic loquitur *Gen. XVII. 14.* Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Pari ratione de Baptismi necessitate Christus loquitur *Joh. III. 5.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Excipiunt quidem Sociniani, disparem esse Veteris & Novi T. rationem; quum ad illud ritus externi propriè pertinuerint, hic verò cultus Dei sit interior; quemadmodum tota Christi disciplina spiritualis est, & præterea in universum ab externis, iisq; certis & institutis ritibus tantum non abhorret. Ita Socin. in disp. de Bapt. c. 16. p. 136. & alii. Verum resp. distingvendum esse inter ritus Legales & Evangelicos; illi erant graves & onerosi, hi sunt faciles & suavissimi, illi premebant tanquam jugum importabile *Act. XV. 10.* hi verò jugum leve sunt *Matth. XI. 30.* Priores pertinere ad Vetus T. & abhorret ab iisdem Novum T. non verò à posterioribus; quod exemplum Cœnæ Dominicæ docet. Ad hos autem non ad illos debet referri Baptismus, quippe qui est Evangelii quoddam sigillum.

VI. Ab Ecclesiâ Christiana notificatione; quia Baptismus est nota & tessera Ecclesiæ Novi T. Necessarius ergo est Ecclesiæ. Quum nota necessaria sit notato suo. Antecedens patet è Sacramentorum munere: quæ inter alias causas etiam hæc sine instituta sunt, ut, quemadmodum August. l. 2. contr. Parmen. c. 13. ait, sint characteres Ecclesiæ. Sic Apostolus: *Baptizati sumus omnes per unum Spiritum in unum corp9 sive Judæi sive Græci, sive servi sive liberi. 1. Cor. XII. 13.* Quod si

P P P P P 2

omnes

VI.

Ab Eccles.
Christ. noti-
ficatione.

omnes ad unum corpus baptizamur, & Christo inserimus spiritualiter per baptismum, utiq; ad corpus Christi mysticum non pertinebuntor dinarie, qui baptismum non suscipiunt. Respondet Socinus, hunc locum accipi debere non de Baptismo aqua, sed Spiritus, cum in Spiritu baptizari sit baptizari Spiritu. Verum constat quod præpositio *et* nonnunquam sit nota causa, & æquipolleat præpositioni *et* ut v. 3. & 1. Job. I. 4. Luc. I. 17. Marc. IX. 29. &c. Et cum hic jungatur Baptismus & Cæna Domini, & ex æquo omnibus Baptismus collatus dicatur, qui unum corpus mysticum (Ecclesiam) constituunt, absq; omni dubio notabitur Baptismus aquæ, quum Baptismus Spiritus non collatus sit omnibus, nec eodem suscepti fuerint in corpus mysticum Apostoli, sed jam antea suscepti, priusquam Spiritu baptizarentur. Conf. Eph. IV. 5. ubi de Baptismo aqua sermonem esse, non de Baptismo Spiritus, vel inde manifestum est, quod hic non fuerit unus semper, & apud omnes eodem modo, ut una fides. &c.

VII. VII. A Christianorum initiatione & regeneratione. Per quod-
 A Christiano- cunq; fit regeneratio & Christianismi initiatio, id in Ecclesia
 rum initia- Christiana necessarium est. At illa fit per Baptismum aquæ. E.
 tione & rege- Assumptum liquet (1.) è Joh. III. 5. Nisi quis renatus fuerit ex a-
 generatione. qua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Ubi Socinus ineptus
 est, in regnum Dei ingredi esse, notitiam rerum divinarum consequi. pag.
 51. Docet enim hic Christus, quomodo vitam æternam ingredi
 queamus; v. 15. 16. & fateri cogitur Socinus ipse, idem esse salvari
 Matth. XVI. 16. quod hic ingredi regnum Dei, pag. 48. (2.) Huic cardi-
 nali dicto succenturiatur illud è Gal. III. 27. Quicumq; in Christo
 baptizati estis, Christum induistis. Ubi particula *omni* quicumq; acci-
 pitur non distinctivè, & particularitèr uti Job. I. 12. Matth. XIV. 36.
 1. Tim. VI. 1. Sed collectivè & universaliter ut Rom. VI. 3. Ebr. II. 15. &c.
 Colligit enim Apostolus hic in unum Judæos & Gentes, liberos &
 servos, adeoq; cujusvis status & ordinis homines, ut è v. 26. & 28. patet,
 & respicit ad totum vocatorum cœtum, ut innuat, omnes, quicun-
 que in Ecclesia vivunt, & Ecclesie inseruntur per Baptismum,
 induere CHRISTUM, & neminem induere CHRISTUM
 quin baptizatus sit, & vocatorum cœtui per BAPTISMUM inser-

viii. Quod autem hoc loco baptismus aquæ intelligatur, id tam luculentum est, ut Socinus, postquam ad baptismum Spiritus trahere illum voluisset, subjungere necessum habuerit: *Itaq; fateor locum istum ad aquæ baptismum referendum esse: quum autem negat, de eo agi, quod reverà sit, sed quod Galatæ professi sunt p. 98. eò a- pertè reclamant APOSTOLO: qui non ait, CHRISTUM induisse professi estis, sed CHRISTUM induistis.* Adde (3.) locum ex Ebr. VI. 2. Ubi inter rudimenta CHRISTIANISMI recensentur baptismatum doctrina, vel explicatio doctrina compendiaria, quæ in BAPTISMO & impositione manuum tradi rudibus præsertim solebat. Dicitur autem in plurali βαπτισμῶν, non ad indicandas legis purgationes ac lotiones, ut videtur Flacio in *clav.* quum hæc ad τὸν τῆς ἀρχῆς τῆ χειρὸς λόγον non pertineant, sed quod plures catechumeni solerent ad Baptismum convenire & plures baptismi statis diebus administrari, quod postea factum certis diebus Paschæ ex Epist. Siricii i. Gelasi i. August. de cura pro- mort. c. 12. Cyrill. Hieronym. Durand. & alii. Socini glossa, quod Ba- ptismi sint remissio peccatorum & Christi legis præscriptio p. 104. caret omni fundamento. Nam ejus explanationis ne vestigium quidem apparet in Scripturis. Nusquam enim Baptismus notat remissio- nem peccatorum, nusquam idem est, quod Christi legis præscriptio. Sed docet Socinus hæc ipsâ σεβλῆ σεφῶν, se ex illorum numero esse, qui ἀμαθῆς καὶ ἀσημτοὶ σεβλῶσιν τὰς γραφὰς. πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν. 2. Pet. III. 16. Fatetur enim p. 104. per baptis- mos intelligi Johannis, & Apostolicum baptismum: Quod autem Jo- han. Baptismum dicit esse remissionē peccatorum, Apostolorum esse le- gis præscriptionem, meræ nugæ sunt: & quis tam diversas unig vocis in eodē loco semel positæ significationes admittet?

II X. Ab Ecclesiæ purgatione. Quodcunq; Christus ordinavit ad sanctificationem & purgationem Ecclesiæ, id necessarium utiq; est Ecclesiæ. Quandoquidem necessaria sit Ecclesiæ affectio, sanctitas. At Baptismum aquæ ordinavit eò Christus, teste A- postolo Eph. V. 26. Nam per lavacrum aquæ in verbo intelligi Ba- ptismum, res ipsa loquitur; quandoquidem hæc περιφρασις com- plectitur tum materiam Baptismi aquam verbo junctam, tum for- mam, quæ in lavacro sive lotione consistat, sive aspersione, sive immer-

II X.
Ab Ecclesiæ
purgatione.

PPPP 3.

sione.

sione fiat. Nam & aspersione potest fieri lotio Job IX. 7. Ineptè verò & perversè explicant Sociniani de verbo predicato. Nuspiam enim *verbum predicatum* dicitur *lavacrum aquæ*, nuspiam *λύτρον* denotat *πῆμα*, & si hic denotaret, quæ foret *ἐξήγησις πῆμα ἐν πῆματι*? Christus purgat Ecclesiam suam Verbo in verbo. Quis non videt, quod hoc pacto confundantur, quæ distingvit Apostolus! Nam *lavacrum aquæ* distingvitur apertissimè à verbo; & ne quis *virtutem purgandi & sanctificandi* adscribat *aquæ lavacro*, quâ tali, additur, quod sit *lavacrum aquæ in verbo*, quo purgatur & sanctificator Ecclesia. Nam ut verè August. *trakt. 8. in Iohan. Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur, in verbo.*

IX.
A salutis
consecutione.

IX. *A salutis consecutione.* Quod est medium ad salutem & remissionem peccatorum, id necessariū est Ecclesiæ. Si enim Ecclesia salvari debeat, utiq; necessaria erant ipsi salutis media ordinaria. Et qui carere possit eo Christianus verus, quod ad remissionem peccatorum ordinatum est. At Baptismus est medium ad salutem: Marc. XVI. 16. Job. III. 5. Tit. III. 5. i. Pet. III. 21. & ad remissionem peccatorum Luc. III. 4. Act. II. 38. c. XXII. 16. & fatetur Socinus, aliquid in baptismo esse, quod requiratur ad remissionem peccatorum (professionem nominis Jesu) negat autem id alligatum esse ad baptismum pag. 77. At baptismum requiri ab omnibus nomen Jesu profitentibus liquet ex Act. II. 38. c. XXII. 16. ut & ex institutione Christi Matth. XXIII. 19. Marc. XVI. 16. quam nullus Christi Confessor negligere debet.

X.
A spiritali
communio-
ne.

X. *A spiritali communione*, ad quam etiam requiri baptismum docet Apostolus. Eph. IV, 4. Ut enim omnes, quicunq; veri Christiani esse cupiunt, *unum esse corpus* debent, & *unus Spiritus*, ut omnes *unam* habere *spem* vocationis, *unum Dominum*, *unam fidem*, *unum Deum*: ita oportet omnes quoq; *unum* habere *baptismum*: ut illi non pertinent ad mysticum Christi Corpus, qui non habent *unum Spiritum*, *unam Spem & fidem*, *unum Dominum & Deum*, ita nec illi, qui non unum habent *baptisma*, vel non eodem

dem cum aliis baptisinate inserti sunt. Quid Socinus ad lucem tam claram? Fateri unquam cogitur, sine baptismo Christianum esse non posse. Contendit ergo baptismum Spiritus hic intelligi pag 92. Sed rationibus perquam frivolis: (1.) Quod per vocem baptismus, Spiritus baptismus intelligatur, cum de iis rebus sermo est, quæ proprie Christianis competunt. Quod falsum esse liquet ex Act. II. 38. c. XXII. 16. quum è contrà, ubi baptismi simpliciter mentio fit, semper baptismus aquæ intelligatur. Conf. Act. II. 38. 41. c. XIX. 12. 16. c. X. 48. c. XVI. 15. 33. c. XIX. 8. c. XXII. 16. Ebr. VI. 2. ubi verò aliud quid, v. g. baptismus Spiritus designatur, additur aliquid, quo id innuatur V. Matth. III. 11. Luc. III. 16. Marc. I. 8. Joh. I. 33. Act. I. 5. c. II. 6. Falsum insuper est, quod ait Socinus, Christum solum Spiritu baptizare, non aqua Vid. Joh. III. 26. c. IV. 1. Matth. XXIX. 19 (2.) Quod multi baptizentur, qui Christiani non sunt. Resp. conjunctim accipienda esse, quæ recenset Apostolus, non seorsim, requiri enim fidem, spem, & alia cum baptismo, non autem baptismum solum. (3.) Quod mentio S. S. prætermitti non potuerit. Resp. prætermittam non esse, cum ait Apost. Unum Corpus, unus Spiritus. Quis ergo id, quod clarè expressit, obscurè nunc per baptismum designaret? (4.) Quod ritus externi non commemorentur, alias S. Cæna non omissa esset. Resp. S. Cænam non ita necessariam esse, ut baptismum, quum etiam infantes, aliiq; in sacrâ communionem sint, etsi S. Cænam nondum fruantur. Sine baptismo autem nemo in eâ ordinariè esse potest. Quum ergo Socini rationes nullius hili sint, nostras, quibus de *ὁδοῦ βαπτισμῶ* hic agi probemus, paucis subjungimus (1.) Quia vox baptismi proprie est accipiendâ, siquidem nulla necessitas impropriam svadeat significationem (2.) Quia per baptismum, simpliciter & absolutè hac voce positâ, semper intelligitur baptismus aquæ (3.) quiaper Sacramentum Baptismi inserimur Ecclesiæ. Act. II. 38, 40. (4.) Quia in eodem induimus Christum Gal. III. 27. (5.) Quia baptismus aquæ juxtâ cum fide requiritur Marc. XVI. 16. (6.) Quia per eundem in unum corpus baptizamur I. Cor. XII. 13. (7.) Quia per illum ad unum Deum, ad unum Dominum, & ad unum Spiritum adducimur Matth. XXIX. 19. (8.) Quia

per.

Socini ex-
cept. ad Eph.
IV. 4.

per illum in vivam spem regeneramur *1. Pet. I. 3. Job. III. 5. Tit. III. 5. (9.)* Quibus adde quod Socinus fateatur ipse, *hic de baptismo illo sermonem esse, quo de agitur 1. Cor. XII. 13.* & hæc loca sibi admodum similia esse. Ideò Socinus alio hic effugio, quod vocat, utitur p. 91. etiamsi de baptismo aquæ hic agatur, non tamen eum omnibus necessarium fore, sed iis ad quos scribebat Apost. Sed miserum hoc est effugium. Quis enim non videt omnia, quæ hic recenset Apost. omnibus Christianis communia esse, non Ephesiorum propria. Quapropter fassus est ipse Socin. p. 92, *hæc omnibus Christianis competere.*

XI.
*Ab Ecclesia
sanctificat.*

XI. *Ab Ecclesie sanctificatione.* Id quod ordinatum est ad Sanctificationem Ecclesie, omnibus est necessarium. At baptismus aquæ ad id ordinatus est Eph. V. 26. ubi negat quidem Socinus, aquæ baptismum intelligi, sed id postmodum probabitur; quamvis locus luculentus sit, ac vix probatione ulteriori egeat.

XII.
*Ab analog.
cum circūc.*

XII. *Ab analogiâ cum circumcissione.* Ut enim circumcissio in populo Israëlitico in Vet. Testam. necessaria fuit omnibus & ab omnibus suscipienda, ita non minus necessarius est baptismus omnibus Christianis in Nov. Test. & ab omnibus suscipi debet. Quandoquidem baptismus successerit in locum circumcissionis, unde etiam circumcissio Christi *ἀρχεργπρόντος non manufacta* dicitur Col. II. 11. 12. & ut circumcissio erat externum Israëlitarum signum ab omnibus suscipiendum, ita baptismus nota est, & tessera Christianorum, ideoq; à nullo Christiano intermittendus est Gal. III. 27. Eph. IV. 4. 1. Cor. XII. 13.

XIII.
*A comparatione cum S.
Cenâ.*

XIII. *A comparatione cum S. Cenâ.* Ut enim nemo S. Coenam penitus negligere debet, inter illos qui capaces sunt S. Eucharistiae: ita nemo Christianorum S. baptismum debet intermittere. Sunc enim hæc duo Sacramenta Novi Testam. quorum utrumq; Ecclesie Christianæ concreditum est, utrumq; ab omnibus requiritur 1. Cor. XII. 13. utrumq; præfiguratum in V. T. ad Ecclesiam pertinet N. T. 1. Cor. X. 2. 3. utrumq; testatur in Ecclesia N. T. 1. Job. V. 6. imò Baptismus longè magis necessarius censendus est ipsâ S. Eucharisti-

charistiâ, quum sit Sacramentum initiationis, & regenerationis teste CHRISTO, Joh. III. 5. & Apostolo 1. Cor. XII. 13. Gal. III. 27.

XIV. *Ab universali consensu & praxi totius Christiane Ecclesie.*

Quandoquidem per universam Ecclesiam tum Orientis, tum Occidentis baptismus susceptus sit ceu Sacramentum Christianis necessarium; unde etiam omnibus in Ecclesiâ administratus, & dispensatus fuit, & ab omnibus ubiq; locorum susceptus, qui Christiani esse voluere, in hunc usq; diem. Quam praxin inde ab Apostolorum ætate deducendam esse, priscisq; seculis floruisse, præter Acta Apostolica testantur tum Historia Ecclesiastica tum Scripta veterum Patrum S. Ignatii Epist. ad Philipp. Justin. Dial. contr. Tryphon: Clement. Alexandr. Pædag. l. 1. c. VI. Tertulian. l. de Baptism. itemq; Irenei, Athenagora & aliorum. Quid? quod Socinianorum fratribus illi, quos baptizatores nominat Ostorodus, & ex ipsis Neo-Photinianis Martinus Czechovicus veritatem hic agnoverint, & Baptismum non pro re adiaphorâ, sed necessariâ habuerint.

XIV. *A praxi totius Ecclesie.*

Socinus v. nullam solidam habet causam, ob quam à consensu universali Ecclesie, praxi Apostolicâ, & Catholicâ totius Christiani orbis proprijsq; fratribus divortium faciat. Ea certè, quæ adduxit, ubi in hanc rem omnes intendit nervos, facile expediuntur: (1) Quod Luc. III. 16. Act. 1. 5. dicatur Johannem aquâ baptizasse, Christum autem Spiritu, è quo concludit Christianorum esse non aquâ, sed spiritu baptizare. Resp. CHRISTUM Spiritu baptizatum dicitur; at aquâ non baptizatum nequaquam additur: unius positio non est alterius exclusio: Imò aquâ baptizasse, si non proprijs, Apostolorum manibus, liquet è Job. III. & IV. capp. Quod si Christianorum ea proprietas esset, non baptizari aqua, quâ Christus vel Apostoli aquâ baptizassent? Cur ipse Socinus vult, ut baptizentur aquâ Christiani? Baptismus Spiritus l. c. non est Christianorum omnium proprietas, sed Apostolis peculiariter promissa gratia est, alijs nonnullis in primitiva Ecclesiâ itidem exhibita, quæ jam pridem in Ecclesiâ cessavit, prout id de visibilibus donis Spiritus S. ea desisse, non diffitetur Socinus.

Socinianiuncula discutiantur.

L.

Qq q q q

2. Quod

2o. Quod *Apostolus testetur, se missum non esse, ad baptizandum sed ad docendum.* Resp. id intelligendum *comparatè*, quod non tam ad baptizandum missus sit, quam ad docendum, vel quod *neglote* ac *principaliter* missus sit ad docendum Evangelium, prout hodie *Pastores* in plurimis locis mittuntur, ubi baptismi administratio *Diaconis* relinquitur. Si planè missus non esset ad baptizandum, quì præter partes officij demandatas baptizasset *Cajum, Crispum, & Stephane familiam*, vel etiam *duodecim illos, Act. XIX.* quos à Paulo baptizatos vult *Socinus*. Similem loquendi modum, ubi negativæ sint *comparativè accipiendæ*, vid. *Exod. XVI. 8. Hos. VI. 6. Joël. II. 13. &c.*

3o. Quod *Gal. III. 27. innuat, quosdam in Galaticâ Ecclesiâ fuisse non baptizatos:* Resp. particula *οοοι* non præcisè *discretivè* accipienda est, sed *universaliter* potiùs intelligenda: *Quicumq; baptizati sunt, cujuscunq; sint ætatis, status, & conditionis:* uti accipitur *Rom. VI. 3. Ebr. II. 15. &c.*

4o. Quod *institutioni Christi spirituali non sit tribuendus ritus aliquis externus, nisi clarissimè institutus.* Resp. Etiam si Christiana religio spiritualis sit, media tamen externa ad eandem destinata sunt, utpote *externa prædicatio, externus verbi auditus, externa Sacramente usurpatio*, ut & *baptismus*, qui non minus clarè ac luculentè institutus est à Christo, quàm *S. Eucharistia*, utut *Socinus* institutionem illam obscurare satagat. Quid enim tam luculentum est, quod *Spiritus tenebrarum* non ausit obscurare.

5o. Quod *multi eximii Christiani Baptismo aquæ non fuerint Baptizati, utpote 12. Apostoli, 70. discipuli, & 120. Christiani Act. I. 15. quingenti fratres, quibus Dominus apparuit 1. Cor. XV. 6. & alij, qui ante institutionem baptismi in Christum crediderunt.* Resp. *Apollo* à *Johanne* baptizatus fuit *Act. XIII. 6.* ut & *Andreas*, de quo id fatetur *Socinus*, cæteriq; *Apostoli*; ut *Tertul. l. de Bapt. & alii* volunt, quamquam alii censeant à Christo, (utut aliàs ipse non baptizavit) *extraordinariè discipulos ejus baptizatos:* Vid. *August. Ep. CIIIX ad Seleuc. quod Evodium*; *Apostolis οὐδὲν ἔργον* testatum esse de *Petro & Mariâ, baptizatis à Christo, refert Euthym. in Job. 3. & Nicephorus l. 2o.*

l. 2. *Hist. c. III.* Quicquid vetò sit, uti Johannes, etsi baptizatus ipse non erat, alios tamen baptizare divino mandato debuit, ita etiam si Apostoli & LXX. discipuli Christi non fuissent baptizati, non tamen inde inferre posset Socinus, eos mandatum baptizandi nullum accepisse; aut alios baptizandos non esse, vi mandati CHRISTI. Quia alia ratio ipsorum, qui immediatè à Christo vocati erant ad ministerium docendi, & baptizandi, alia verò istorum, ad quos illi missi sunt.

Et hæc de Socini argumentis contrarijs, quæ quàm nauci atq; futilia sint, jam liquet.

CONTROVERSIA TERTIA.

Utrum Baptismus aquæ medium sit regenera- tionis & salutis?

Negant hoc iterum *ἀποτόμως* Socinus & discipuli ejus, ille *Socin. sen-*
Tract. de Baptismo, cap. X. & passim; Ex his videri potest *Smalezius*
contra Franzium, p. 289. & 311. ubi eò etiam progreditur, ut *idolo-*
latricum pronunciet, quod *Baptismo Regenerationem & salutem ad-*
scribamus. Nos verò hanc esse ipsissimam divinam veritatem im-
motis Documentis ostendimus: *Nostra.*

I. Quia ex aqua & Spiritu regenerantur, Johann. III. 5. h. e. *Hujus con-*
per Baptismum, ad quem non tantum aqua, sed Sp. S. concurrat ef-
ficacia sua & efficaci operatione. *firmitio.*

II. Quia Baptismus cum fide ad salutem æternam requiritur,
Marc. XVI. 16. sc. ut fides est medium ex parte nostri vel *τῆς λήψεως*
& susceptionis: ita Baptismus est medium ex parte DEI vel *τῆς*
δόσεως ac oblationis gratiæ ac salutis. Aquam autem Baptismi in-
telligendam esse docet parallelus, *Matth. XXII. 19.*

III. Quia Baptismus in remissionem peccatorum admini-
stratur, eoq; dona Spiritus S. consequimur, teste Petro, *Act. II. 38.*
Socinus quid hîc dicat, non invenit. *Nam vel baptismo illi b. e. ab-*
lutioni peccat. remissionem nequaquam tribuit Petrus, sed penitentia, vel

si baptismi quoque rationem eam in re habuit, aut quatenus publicam nominis J. C. professionem continet, eam tantum consideravit, aut si ipsius etiam externae ablutionis omnino rationem habere voluit, quod ad ipsam attinet, remissionis peccatorum nomine non ipsam remissionem verè, sed remissionis declarationem, & oblationem quandam intellexit, pag. 81. Hem immotam hominis certitudinem? Locus apertus est: & luculenter adscribere Petrum ipsi baptismi aquae, de quo ibidem agitur, remissionem peccatorum, verba ipsa docent: Baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum & accipietis donum Spiritus S. Conf. Luc. III. 4. Et quomodo remissio peccatorum de poenitentia verè, de baptismi tantum ratione declarationis efferetur, quum unius vocis non sit nisi unica tantum in eodem textu significatio.

IV. Quia in baptismi peccata nostra abluuntur, teste Anania, Act. XXII. 16. Socin. p. 77. obvertit, se non negare, quin in baptismi aquae aliquid sit (utpote nominis Jesu professio), quod ad peccata delenda aliquo modo pertineat. Resp. At nusquam delitio peccati tribuitur professioni nominis Christi: neque id fit hoc in loco, sed de baptismi, inquit Ananias: baptizare, & abluere peccata tua: Ideo ita invertere vult Socin. verba: Dele per invocationem nominis Christi peccata tua. Sed hæc nimis aperta est *ερεβλότης*, quum Ananias ablutionem non invocationi nominis Christi, sed lavacro Baptismi adscribat: eoque ablutionem peccatorum fieri doceat. Conf. I. Cor. VI. 11. Frustrà v. Socinus ex ablutione satagit facere meram declarationem ablutionis: quum τὸ ῥητὸν dimittere citrà gravissimam causam non debeamus; nec invocatio nominis Christi in baptismi fiat solum declarandæ ablutionis gratiâ, sed ut reverà abluamur per Baptismum à peccatis nostris. Conf. Ez. XXXVI. 25. Zach. XIII. 1. I. Cor. VI. 11. Eph. V. 25. Ebr. X. 22.

V. Quia in Baptismo ita in mortem Christi baptizamur, ut fructus mortis ejus participes reddamur, Rom. VI. 3.

VI. Quia per Baptismum corpori Christi mystico inserimur, quæ certè est spiritualis operatio & effectus sacri Baptismatis, I. Cor. XII. 13.

VII. Quia

VII. Quia per Baptismum Christum induimus, Gal. III. 3. 27. quotquot vestrum baptizati sunt, Christum induerunt: hæc verò induitio Christi est salutaris fructus Baptismi; conjuncta quippe cum *ὄνομασία*, quâ sumus *Filii DEI*.

IIIX. Quia per Baptismum ceu medium ordinarium purificamur, teste Paulo, Eph. V. 26. *purificavit nos per lavacrum aqua in verbo*, quod aliud non est, quàm Baptismus, lavacrum illud regenerationis, Tit. III. 5. Socinus id detorquere conatur ad *pœnitentiam* p. 39. At pœnitentia (1) nunquam vocatur *lavacrum aquæ*. (2) nunquam Ecclesia per pœnitentiam mundari dicitur. (3) A sensu literali citrà causam prægnantem discedendum non est. Ideoque lavacrum, quod aquâ contingat, hîc intelligendum. (4) Optimè congruit hæc descriptio baptismo aquæ: qui aquâ, & verbo constat, vel *aquâ verbo comprehensâ*, & *lavacrum* nuncupatur. Tit. III. 5. in quo *ablutio peccatorum fit*: Act. XXII. 16. I. Cor. VI. 11. ut taceam, quàm incerta sit Socin. glossa, quùm Moscorov. in append. *verbum* intelligat per lavacrum aquæ (licet per ineptè, *purificat verbo in verbo*) quodq; Socinus ipse agnoscat *pulcherrimè hunc locum cum Marc. XVI. 16.* (ubi de baptismo aquæ agitur, ut antea ostensum) *convenire*.

IX. Quia per Baptismum ceu *Sacram Circumcisionem* corpus peccati deponimus, Col. II. 11. non figurativè tantùm, aut declarativè, uti Socinus pervertit, sed verè, uti asserit Apostolus. p. 100.

X. Quia per Baptismum, secundum Apostolum, & regeneramur & renovamur & salvamur, Tit. III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum Regenerationis & renovationis Spiritus S.* quod certè nullum aliud est, quam S. Baptisma, conf. I. Pet. III. 21. Johann. III. 5. Socinus *pœnitentiam intelligi debere* contendit, p. 39. At ea nunquam vocatur *lavacrum*, nunquam de eâ dicitur, quod *regeneremur per eam*, nec acceptionem illam *propria* voce *λύτρος* significatio admittit, quæ *lavacrum* infert. Nul- lum a. Script. S. novit *lavacrum*, quo abluamur à peccatis, aut regeneremur ac renovemur, ac salvemur, quàm baptismum Act. XXII. 16. I. Cor. VI. 11. Eph. V. 25. Zach. XIII. 1. Rom. VI. 4. Col. II. 11. &c. quem satis innuit *effusio Spiritus S.* fieri solita in baptismo: ne di-

Q9999 3

cam

cam, quam dubii hic sint Sociniani. *Smalcio & Catech. Racov. regenerationem ipsam* per hoc lavacrum intelligente, quam tamen Paulus à *lavacro* distinguit, ita ut huic *lavacro regenerationem* adscribat, & *renovationem*.

XI. Quia Baptismus est aqua pura, qua abluimur spiritualiter & purificamur à prava conscientia, teste Apostolô, Ebr. X. 22. ideoque Baptismus medium est spiritualis nostræ ablutionis & purificationis. *Socinus de Bapt. p. 40. vult emendationem vitæ* hîc designari, quia sermo sit de eo, quod futurum est: Sed verba loquuntur de ablutione jam factâ in præterito. *Emendatio vitæ* nunquam vocatur *ablutio*, nedum *ablutio corporis*, qualis nulla celebratur in Script. N. T. quæ fiat ad remissionem peccatorû, quàm *ablutio baptismi. Actor. XXII. 16.* Quid? quod dicatur disertè hæc ablutio fieri aquâ, ideoq; non est, quod pro arbitrio nostro Metaphoram hîc fingamus. Conf. *1. Pet. III, 21.* Discrepat à Socino *Schlicht.* hîc *Verbum* intelligens *Disp. 3. c. Meissn. p. 843.*

XII. Quia in Baptismo salvamur, teste Petro *1. Ep. III. 20. 21.* qui Baptismum etiam vocat *stipulationem bonæ conscientie cum Deo* ab effectu, quod sc. per Baptismum obligemur ad hanc stipulationem, abluti à peccatis nostris. Ubi *salus* adscribitur non *stipulationi bonæ conscientie*, quæ sit diversa à *baptismo*, ceu *sordium carnis ablutione*, uti blasphemè Socinus, sed *baptismo*, qui verè est *stipulatio bonæ conscientie*, & non *ablutio sordium carnis*, uti verba textus docent. Ut enim aquæ diluvii arcam sustinentes Noam servabant, ita nos servat aqua baptismi, cum illi rei hic expressè dicatur correspondere *exemplar* (*ἀντίτυπον*) baptismi, qui nos servat: unde fatetur ipse Socinus p. 108. hic ad *baptismum aquæ* respici. Nec aliter, quàm propriè aquâ hic intelligeres ipsa docet: quia talis aqua designatur, qualis in diluvio erat. Falsò ergò de *tribulatione* interpretatur Socinus. *Schlichtingio* hic aqua hæsit, l. c. p. 922. qui modò *fiduciam in DEUM*, modò *bonam conscientiam* per baptismum intelligit, quorum tamen neutrum eâ voce uspiam exprimitur.

XIII. Quia aqua illa munda, qua de vaticinatus est Ezechiel, *cap. XXXVI. v. 25.* nos eâdem mundatum iri tempore N. T. ab omni impu-

impuritate nulla alia est, quàm aqua Baptismi, qua mundamur & abluimur à peccatis nostris, conf. *Actor. XXII. 16. Ephes. V. 25. Ebr. X. 22.*

XIV. Quia fons ille apertus adversus peccata & impuritatem, *Zach. XIII. 1.* nullus itidem alius est, quàm Baptismus, qui prædicatur tempore N. T. à Baptista & Christo aperiendus, conf. *Matth. III. 5. cap. XXIX. 19. Act. II. 38.*

XV. Quia de Baptismo S. *Johannis πρωτοβαπτισμῶς* disertè docetur, quod administratus fuerit in remissionem peccatorum *Luc. III. 3.* quodque per eundem iram venturam effugere potuerint, *Matth. III. 2.* Quid? quod Socinus ipse fateatur, *Johannis Baptismum fecisse ad remissionem peccatorum.* At non minoris certè est efficaciam Baptisma Christi quàm Johanneum.

Denique XVI. Argumentum secundarium ex unanimi consensu Patrum, & totius Ecclesiae suffragio Catholico peti potest in hac causa, vel certè testimonium multis parasangis præferendum vanis & inanibus argutiis manipuli Socinistici. Quandoquidem universa Catholica Ecclesia Baptismum semper habuerit habeatque etiamnum pro salutari medio Regenerationis, Remissionis peccatorum & vitæ aeternæ, quem ob id varijs elogiis honorariis celebrarunt pii Veteres & Ecclesiae Doctores. Etsi verò usq; deq; habeantur à *Socinianis*, eorum tamen consensus, quatenus testificatur de unanimi fide totius Ecclesiae, in pretio habendus, quum doceat, Socinianos Baptismi efficaciam negantes, ab Ecclesia Christiana Catholica divortium facere. Quid? quod fratres eorundem & cum primis *Mart. Czechovicus* fateatur, nos per Baptismum remissionem peccatorum consequi & sanctificari. *Schlichtingius* non diffitetur Baptismo adscribi remissionem peccatorum & salutem; sed id tribui vult Baptismo, quàm est professio Christianismi, quem tamen non ut nudam ceremoniam & externam professionem, sed ut medium salutiferum Sacras literas describere, è superioribus abundè liquet.

CON-

CONTROVERSA QUARTA

Utrum in Baptismo Sp. S. conferatur?

Negat hoc Socinus lib. *foas. cap. IV.* ut & Schlicht. l. c. p. 942. qui ipsâ aquæ baptismi rinctione neminem unquam S. S. donis perfusum esse, ait. Quod autem omninò Spiritus S. in Baptismo verâ fide suscepto effundatur, non quidem quantum ad *extraordinaria dona ministrantia*, quæ sub initium N. T. vigerunt; sed quoad *dona ordinaria sanctificantia*, hæc docent:

I. *Vaticinium Propheticum, Ezech. XXXVI. 25. 27.* quo promissa fuit cum effusione aquæ mundæ in Bapt. *Spiritus S. donatio.*

II. *Oraculum Christi, Job. III. 5. & 6.* quod in Bapt. ex Spiritu regeneremur, quod de Baptismo dici non posset, nisi Spiritus S. in Baptismo conferretur.

III. *Testimonium Petrinum Act. II. 38.* Baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus S. Hoc ergò donum per baptismum conferri luculenter perhibet.

IV. *Suffragium Pauli, 1. Cor. XII. 13.* Si enim per unum Spiritum baptizamur in Christi corpus mysticum, ut inferamur ei, utiq; in Baptismo donorum Spiritus S. participes reddimur, At verum prius, E. & posterius.

V. *Evidentissimum effatum Apostoli, Tit. III, 5.* Salvos nos facit per lavacrum regenerationis & Renovationis Spiritus S. quem effudit in nos largiter per Jesum Christum. Quid enim hoc aliud est, quàm quod Spiritus S. effundatur in Bapt. ceu lavacro Regenerationis & Renovationis Spiritus S.

VI. Argumentum etiam nonnulli petunt è *Baptismate Christi, Matth. III.* Si Spiritus S. super Christum venit in Baptismo ejus, quantò magis super nos veniet in Sacramento Baptismi, quando quidem ipse propter nos unctus sit Spiritu S. *Psal. XLV. 5. Esz. LXI. 1.* ejusque Baptismo nostrum Baptisma sanctificatum sit. Quibus addimus

Deniq;

Deniq; VII. *Consensum Ecclesie*, à qua sese iterum hinc sine ulla ratione prægnante separant Sociniani, cujus in talibus Doctrinæ capitibus unanimis consensus omnino magnificandus est Ecclesie filiis.

CONTROVERSIA QUINTA.

Utrum Baptisma nihil aliud sit, quàm publica Nominis Christi Professio?

Sic tenset de Baptismo Sociniani, ut videre est ex Socino ipso, lib. de Bapt. p. 204. Smaltzio contra Frantz. p. 314. Schlichtingio contra Meisn. & aliis passim. Unde fit, ut baptismus aqua, tanquam ceremonia, Socino iudice, sub N.T. à quo omnes ferme ceremonie exulant, parvi fieri possit. Volck. l. VI. de Ver. Relig. c. XIV. p. 664. *baptismus in Christi nomine administratus nihil aliud est, quàm publicum professionis Christiane Symbolum, quo per incinentionem in aquam homines illius religioni initiabantur.* Quanquam verò largiamur in Baptismo & per Baptisma aliquam nominis Christi professionem fieri, minimè tamen admittendum est, Baptismum nihil aliud esse, quàm externam professionem Christianismi vel hanc præcipuam esse causam suscipiendi Baptismum, ut nempe profiteamur Christianismum.

Socin. sententia.

I. Quia nusquam ita describitur Baptismus in Scripturis, quod nihil aliud sit, quàm *professio nominis Christi.*

Confutatio.

II. Baptismus institutus est à Christo, non ut nuda Ceremonia, sed ut *Sacramentum ac medium, quo & Discipuli Christi reddimur, & ad salutem æternam perducimur, ut liquet è Matth. XXIX. 19. Marc. XVI. 16.*

III. Baptismus requiritur à Christo ceu necessarius ad introitum in Regnum Coelorum, Joh. III. 5.

IV. Protobaptista administravit Baptismum non ut nudam ceremoniam, sed ut *consilium Dei de salute in remissionem peccatorum ac effugienda ventura ira medium ac remedium, Matth. III. 7. Luc. III. 3. c. VII. 3.*

V. *S. Petrus baptizavit primos Christianos, non ut initiarentur*

RRRR

tur

tur tantum Christianismo, sed ut remissionem peccatorum, & donum S. S. consequerentur, Act. II. 38.

VI. Ananias baptizavit Paulum non ob solam professionem Christianismi, sed ob ablutionem à peccatis, Act. XXII. 16.

VII. Paulus Romanos baptizatos docet in mortem Christi ita ut consepulti simul sint in Baptismo cum Christo in mortem, Rom. VI. 3, 4. quo certè spiritualis efficacia Bapt. designatur, non verò Baptismus pro nuda ceremonia habetur.

VIII. Docet Apostolus, Corinthios per Bapt. esse ablutos, sanctificatos & justificatos, 1. Cor. VI. 11. An hæc est nuda professio nominis Christi?

IX. Docet, Galatas per Baptismum induisse Christum, & filios Dei factos esse, Gal. III. 26, 27. Num hæc est nuda professio Christianismi?

X. Ecclesia Christiana longè aliter semper judicavit de baptismo: nec eundem adhibuit & suscepit ut ceremoniam quandam professionis, sed ut ὑδὴρ τῆς ζωῆς, & lavacrū penitentiae, prout vocatur à Justino Dial. cum tryph. p. 178 baptismum regenerationis ad Deum Iren. l. I. c. XVII. quod remissionem peccatorum consequamur per aquam; Theophil. ad Autolyt. Sacramentum sanctificationis Tertul. de bapt. c. IV. quo nos pisciculi secundum ἰχθὺν nostrum J. Christum in aqua nascimur c. I. Cypriano lavacrū aque salutaris l. I. Epist. II. ad Donat. & undam genitalem. ibid. Athanasio λύτρωσιν ἀπὸ τῆς θάλαττης γενέσεως Epist. ad Marcell. Epiphano μεγάλην περιτομήν Tom. I. l. I. Imo hæref. 8, Cyrill. Hierosolym. præfat. Cateches. παλιγγενεσίαν ψυχῆς; Basil. in S. Baptism. σφραγίδα ἀνεπιχείρητων; & hom. XII. exhort. ad Baptism. iterum ὄχημα πρὸς θεόν, βασιλείας πρὸς ἕνα, vebiculum ad cælum, regni caelestis conciliatorem; Theodoret. quæst. XXVI. in Genes. aquam vivam, & in Epit. de divin. decret. arxham futurorum honorū, Nazianz. orat. XL. in Bapt. ὄχημα πρὸς θεόν & κλεῖδα τῆς βασιλείας τῶν θεῶν: Optat. Milevitan. caelestis regni comparationem. August. l. II. contr. Crescon. Grammat. c. XIII. Sacramentum nova vitæ, ac salutis aeternæ; & l. II. de Catech. rudib. c. I. portam gratiæ, & primum

in-

introitum Sanctorum ad aeternam DEI & Ecclesiae consuetudinem.
 Cassiodor. in Cant. c. VII. *fontem divinum, quo fideles in novam crea-*
turam regenerantur. Ambros. in c. VI. Rom. *mortem peccati & quæ*
alia hujusmodi suavissima nomina sunt, quibus vim & dignita-
tem Baptismi descripsit vetus Ecclesia. *Puncti Christiani, August.*
teste, baptismum SALUTEM vocarunt l. 1. de peccat. merit. & re-
miss. c. XXIV.

XI. His accedit, quod Socin. ab Ecclesiae universae fide defi-
 cientes in varias scindantur sententias *Catech. Racov. p. 225. Socin.*
& Volckel. baptismus est *ritus professionis eorum, qui e Judæis vel pa-*
ganis ad Christum conversi sunt. Schlichtingius verò, uti fateri cogitur
 disp. 3. c. Meisn. p. 847. & 861. Christum Matth. XXIIX. 19. bap-
 tismum aquæ unà cum officiò docendi instituisse, ita negare non
 potest, eundem etiam ab iis, qui in Christianismo nati sunt, debe-
 re suscipi, nec baptismum habere potest pro ceremoniâ indifferen-
 te. *Ostorod.* permittit ut omnes non baptizati baptizentur *Instit.*
c. XXXIX. p. 361. idq; in Photin. Synodis conclusum esse ait: Eò quod
ferè omnes Christiani statuunt, neminem sine baptismo aquæ pro mem-
bro Christianæ Ecclesiae habendum esse. Quod si ergò etiam infanti-
 bus baptismus dispensari potest, (uti fatetur quoq; Socin. de bap-
 t. p. 142. 143.) non erit, utiq; baptismus solùm professio nominis
 Christi, quum infantes id profiteri non possint, uti paritèr con-
 cludit *Schlicht. Disp. 3. c. Meisner. p. 857.*

CONTROVERSA SEXTA.

Utrum Baptismus necessario immersione in
aquam peragatur?

Sociniani id non pro Adiaphoro & indifferente ha-
 bent, sive quis *aspersione* sive *immersione in aquam* baptizetur; sed
 contendunt, necessarium esse, *ut qui baptizantur, in aquam immer-*
gantur. *Ostorodus l. c. ut & Volck. Schlicht. Disp. 3. contra Meisn.*
p. 856. id etiam pro transformatione Bapt. habet, si quis baptizan-
dum non immergat penitus.

Rrrrr

No-

Nostræ autem Ecclesiæ id meritò ceu *Adiaphoron* habent.
 I. Quia neq; Christus, neq; Apostoli mandârunt uspiam, ut Ba-
 ptismus, cum peragitur, *immersione* peragatur, quod autem præce-
 ptum non est, id pro necessario haberi non debet.

II. Vox Baptismi per se non infert *immersionem*, ut Schlich-
 tingius putat, sed in genere denotat *ablutionem* vel *inctionem*, sive
 ea fiat *asperzione* s. *immersione*. Ita τὸ βαπτὸν *leviter rinctum* est. Et
 βαπτὸν *inctura*, quod è Calvinianis, *immersionem* alioquin urgen-
 tibus, fatentur *Kecker. Syst. Theol. lib. 3. c. 8. Leidenses Synopsi. purio-
 ris Rel. Disp. 44. p. 601. aliiq;*

III. Sic adhibetur quoq; vox ea de Baptismo *nubis & maris*,
 1. *Cor. XII, 2. De lotionibus in V. T. quæ asperzione fiebant, Exod.
 XXIV. 6. Num XIX. 18.*

IV. Verisimile non est, Johannem Baptistam in frequentia
 virorum mulierumq; vestibus exutis Jordani nudos immerfisse,
*Matth. III. 5. Quis credet Lydiam nudam in aquam immerfam,
 totoq; corpore ablutam fuisse Act. XVI. 5.*

V. Nec ullo modo probabile fit, trecentos illos à Petro, *Act.
 II. 38. baptizatos uno die omnes, in aquam immerfos totoq; cor-
 pore ablutos esse.*

VI. Quomodo in privatis ædibus, ubi tota familia baptiza-
 ta, tam subito in promptu fuisse credemus tanta vasa, ut omnes
 immergi & totò corpore abluì potuerint, *Act. XVI. 33. 1. Cor. I. 16.
 Conf. Act. IX. 18. c. XXII. 6.*

VII. Ex *Ebr. X. 22.* colligi potest, Baptismum quonodam *asper-
 sione* fieri solitum, quam vox *ῥαντισμός* innuit, ut vel ipsimet *Lei-
 denses* fatentur, *conf. Hebr. XIII. 14. 1. Pet. I. 2.*

VIII. Idem ex antiquo Veteris Ecclesiæ *clnicos baptizandi ritus*
 liquet, qui certè immergi non poterant toti in aquam, totoq; ab-
 luit corpore, ideoq; nequicquam *Ostorod.* provocat ad *Exemplum A-
 postolorum vel Ecclesia primitiva*, quasi semper immergendo solùm
 Baptismus peractus fuerit, cùm *velè Martyris Laurentii Historia
 apud Wallafridum Strabonem de rebus Ecclesiæ, cap. XVI.* notum sit,
 non tantùm *immersione*, sed etiam *asperzione* baptismum admi-
 nistrare.

nistratum fuisse; Idem quoq; e Tertull. lib. de Pœnit. c. VI. patet; Eumq; aspersionis ritum confirmat S. Cyprianus Epist. LXXVI. ex Ezech. XXXVI, 25. &c.

Deniq; nullam habent causam prægnantem Sociniani, qua necessitatem immersionis demonstrent. Analogiam sepultura in Baptismo Rom. VI. 4. Col. II. 14. locum habere, etiamsi solum caput aquâ perfundatur, atq; ita quasi sepeliatur, ipse Gerbard. Job. Vossius Diss. 1. de Bapt. fatetur p. 40. adeoq; agnoscit, inde necessitatem immersionis in Baptismo confirmari non posse.

CONTROVERSIA SEPTIMA.

Utrum JOHANNIS BAPTISMA prorsus diversum fuerit à Baptismo CHRISTI & Apostolorum?

Sociniani negant JOHANNIS BAPTISMUM fuisse eundem cum Baptismo Apostolorum, eumq; multis modis diversum faciunt. (1.) Ratione Objecti, quod Johannis Baptisma ad Judæos pertinuerit, Apostolorum verò etiam ad gentes, Volck. lib. III. de Ver. Rel. cap. IIX. p. 49. quodq; præterea (2.) Non omnes e populo Israëlitico, qui Johannem audierunt, baptizari opus habuerint, sed solùm, qui penitentia & remissione peccatorum indiguerunt, Soc. de Bapt. p. 239. & 72. (3.) quod illi tantùm baptisate Johannis baptizati sint, qui nondum crediderant in Christum. Idem p. 64. (4.) Quod Johannis baptismus non fuerit administratus in nomine Christi: Baptismus autem Apostolorum administratus sit in ejus nomine, id. p. 72. (5.) Quòd non suffecerit baptizandis Johannis Baptisma, adeoq; rebaptizandi fuerint ab Apostolis. (6.) Quod Johannes non initiavit homines eo Baptismo, cujus virtute potuerint in studio pietatis contineri. Volck. lib. 3. de Ver. Rel. cap. 9. p. 53. (7.) Quod Johannes peculiare mandatum divinum habuerit baptizandi, Apostoli non item. (8.) Deniq; quod Baptisma Johannis abrogatum sit, postquã Christus in cælum assumptus est, Volck. l. c.

Socin. opinio de differ. Bapt. Christi & Job.

Quæ omnia erronea sunt, & meritò tanquam errores rejiciuntur:

RRRR 3

I. Nul

I. Nullatenus è Scripturis probari potest, *Baptisma Johannis diversum penitus fuisse à Bapt. Christi*, unus tantum est, ut Apostolus testatur, *Eph. II. 5.* eadem sunt *partes essentialis* utrobiq; , nec ulla in *essentialibus* monstrari potest diversitas. Uteadem, quantum ad *substantiam fidei*, doctrina fuit Joh. cum Apostolica, ita idem quoq; *Bapt. cum Sacramenta Doctrina sigilla sint.*

II. Nusquam docetur in Scripturis, *Baptisma Johannis unice spectasse ad populum Judaicum.* Ut publicè is baptizavit in quibusvis finibus circa Jordanem, ita neminem repulit, qui ad ipsum baptismi causa venit, sive Judæus fuerit sive non.

III. Figmentum est Socinisticum, *non omnes pœnitentia & remissione peccatorum indigere, aut quœquam adeò justum esse, ut minime indigeat pœnitentia,* quò de suprâ. Dicitur verò *generatim de omnibus, totam Judæam & Hierosolymam exiisse & Baptisma Johannis suscepisse* Marc. I. 6. & cum primis, *Matth. III. 6.* Quod si alii è populo hoc fecerunt, multò minùs pii, *observantes mandatorum Dei hoc fecisse, dicendi sunt,* prout ipse *Volck.* fatetur, licet fingat, *peculiari mandato divino excitatos hoc illos fecisse,* cujus tamen nullum extat vestigium. Ut *concio pœnitentialis Johannea generalis fuit:* ita & *adhortatio ad Baptisma fuit cõmunis ac generalis vi missionis divine, ad quam utiq; fideles etiam obligati erant.*

IV. Socinianum Commentum est, *Baptisma Johannis fuisse tantum professionem pœnitentiæ, ut Baptismus Apostolorum fuerit professio fidei.* Ubi tale discrimen habetur in verbo Dei? Johannes requisivit *pœnitentiã à baptizandis,* sed non *solam contritionem,* verum etiam *fidem in Christum,* teste Paulo, *Act. XIX. 4.* Johannes baptizavit *Baptismo pœnitentiæ, dicens populo, ut crederet in venturum JESUM.* Adhæc docent Evangelistæ, prædicasse Johannem baptizandis *de Regno DEI,* Matth. III. 2. quod utiq; *fidem Evangelii* requirebat; *prædicasse de Christo,* Marc. I. 7. *testificatum esse de Christo,* Joh. I. 15. 29. imò non solum propter pœnitentiã, sed *propter fidem in Christum vel testimonium de ipso* missum esse Joh. *ut omnes per ipsum in Christum crederent,* Joh. I. 7. Deniq; cum prædicavit *Baptisma pœnitentiæ in remissionẽ peccatorũ* Marc. I. 4. Luc. III. 3.

pœ-

pœnitentia hæc non nuda agnitio peccati & contritio fuit, sed cõple-
tebatur quoq; fidem in Christum, sine qua remissionem peccatorum
habere non possumus, Act. X. 43.

V. Utrum Johannis Baptisma in nomine Jesu administra-
tum sit; de eo iterum testari potest, Act. XIX. 4. 5. *Joh. baptizavit
quidem Bapt. pœnitentia, & dixit populo, ut crederent in eum, qui ven-
turus erat, id est, in JESUM, quod sit CHRISTUS: Quia autem au-
dierant hoc, baptizabantur in nomine Jesu.* Hæc enim verba mini-
mè divellenda sunt, quandoquidem textus Græcus eadem conne-
ctat particulis illis Relativis in utro se respicientibus, utpote *par-
tic. μὲν v. 4. & part. δὲ v. 5.* nec necessum erat, ut duodecim hi Disci-
puli rebaptizarentur, neq; de Anabaptismo vel verbum unum vel
Exemplum ullum in Scriptura habetur. Et quomodo cohæreret
textus: *Johannes quidem docuit Baptisma pœnitentia, ut crederent in
Jesum, sed hi 12. Discipuli sinebant se baptizari à Paulo in nomen Chri-
sti,* quapropter certum esto, verba hæc ita cohærere, ut ipsi audito-
res Johannis informati de Christo innuantur Bapt. suscepisse in
nomen Christi. Quî verò dubitari potest, Johannem in nomine
Christi baptizasse, quandoquidem baptizavit in remissionem peccato-
rum, quæ non obtingit, nisi per fidem in nomine Jesu. Act. X. 43. ac
prædicavit baptizandis de Jesu, de fide in Jesum, fidemq; in ipsum re-
quisiverit. Quod verò Christus remissionem peccatorum in nomine
suo prædicari annuntiavit post resurrectionem suam omnibus popu-
lis, id non arguit, antea in nomine ipsius eam prædicatam non esse,
sed non omnibus populis ita annunciatam fuisse; siquidem &
Christus ipse remissionem per fidem prædicavit, Job. III. 16. & Jo-
hannes fidem requisivit ad remissionem peccatorum Job. I. 7. 16. c. III.
36. & agnitionem salutis in Christo annuntiavit. Luc. II. 30. 32. c. I. 77.
ac deniq; filios Israël ad Dominum converterit, Luc. I. 16. 17. Quod sine
fide in Christum fieri non potuit.

VI. Sufficientem fuisse Baptismum Johanneum frustra negatur,
quia nihil in Johannis Baptismo desiderari potuit; nec uspiam
docetur necessarium fuisse Anabaptismum, nec ullò deniq; exem-
plo reiteratio Baptismi à Johanne dispensati confirmari potest.
Conjectura Socini, quod fortè inter tria millia, Act. II. 38. baptizata,
sue-

fuerint nonnulli jam à Johanne baptizati, nullò nititur documento, imò baptizati tantùm illi sunt, qui nondùm ad credentes additi erant, vers. 41. adeoq; nondum pro *Discipulis & credentibus habiti*. Si qui E. jam à Johanne baptizati, numero isthoc comprehendi illi nequeunt.

VII. Quí negari potest Baptisma Johannis fecisse ad remissionem peccatorum? Quod verò Volck. fingit, Johannẽ non tradidisse plenam disciplinam penitentiae, nec patefecisse veram remissionem peccatorum, id parili facilitate rejiciendum cum Socini cominatio levissimo, quod Johannes ipse non fuerit in Regno Dei, lib. d. Bapt. p. 121. Scil. penitentiam non præscripserit is plenè, cujus hoc proprium erat prædicare penitentiam ac preparare viam Domino, quiq; ab omnibus fructus genuinos penitentiae requisivit, nec patefaceret veram remissionem peccatorum, qui Regnum Cælorum appropinquasse prædicavit, qui docuit, quomodo deberent venturam iram effugere, quomodo possent vitam æternam assequi, Matth. III. 7. Job. III. 35. quomodo filii Israël ad Dominum Deum suum converti & infideles ad prudentiam justorum, Luc. I. 16. 17. qui cognitionem salutis populo Desitam in remissione peccatorum tribuit Luc. I. 77. 78. qui digito monstravit agnum Dei, portantem peccata mundi, Job. I. 29. deniq; non fuerit ille in Regno Cælorum, qui de Christo testificatus est, ut per ipsum omnes in Christum crederent, Job. I. 6. Quid? quod Sociniani alioquin contendunt, nihil adeò facere ad studium pietatis, quàm promissionem vitæ æternæ. Annon verò Johannes annuciavit ac promisit æternam vitam, Job. III. 36. Quid E. desiderare possunt in præconio Johannis, quod ad studium pietatis faciat?

VIII. Ut Johannes peculiare mandatum habuit baptizandi, sic etiam Apostoli habuere peculiare mandatum Christi Matth. XXII. 19. Nullum ergò hâc in re utriusq; est discrimen.

IX. Deniq; Johannis Baptisma non abrogatum fuit, etsi Apostoli post ascensionem CHRISTI baptizarint, aliisq; BAPTISMUM aquæ injunxerint ac demandarint, quandoquidem eodem modo, quod ad Baptismi substantiam baptizarint Apostoli, eodemq; sine, quo S. Johannes. Unde fratres ipsi Sociniano-rum, quos baptizatores vocant, provocarunt ad Joh. baptisma, non v. id abrogatum esse censuerunt.

05 A 602 (1/4)

ULB Halle 3
003 761 878




5b

1017

26







I. N. J.
COLLEGII ANTI-SOCINIANI PUBLICE

3 17

^{Quo}
MATEOLOGIA UNIVERSA
NEO-PHOTINIANORUM
è Scriptis ipsorum plenè detegitur,

NEC NON
è S. Literis, proprijsq; adversæ partis
testimonijs succinctè refellitur.

DISPUTATIO XXIV.
DE SACRAMENTIS IN GE-
NERE ET IN SPECIE DE BAPTISMO

^{quam} PRÆSIDE
ABRAHAM CALOVIO, S.S.
THEOL. D. EJUSDEMQUE PROF. PUBL.
ELECTORALIUM ALUMNORUM EPHORO, CONSISTORIE
ECCLESIASTICI ADSESSORE, CIRCULIQ; ELECTOR. SU-
PERINTENDENTE GENERALI

*Dn. Præceptore ac Patrono suo magno omni animi
observantiâ æternùm devenerando.*

Placide sententiarum collationi subjicit

CHRISTIANUS BERINGIUS

Gryphisvaldensis Pomeranus.

In Auditorio Majori, ad d. II. Maij horis antemeridianis.

WITTENBERGÆ
Typis MICHAELIS Wende.
Anno Dom. 1693 c LII.

22

